

1) Marck. De eucharistiae ministerio. Worms.

2) Abdia Libertinus. Syntagma universae de sacrosanctae coenae sententia

3) Apologia brevis Jacobi Grynei 1584.

4) Cuculus Calvinisticus 1585. y Holder.

5) Falco a Marco Beumlero emissus

6) Menius. Oratio de periodis et mutationum caussis in imperiis 1571.

7) Jacobi Grynei Oratio de vita Hildebrani 1585.

DE EVCHARISTIAE MYSTERIO, DIGNITATE, ET VSV:

Ex vnanimi primitiuæ Ecclesiæ consensu,

Ad omnium eorum, qui CHRISTI nomen profitentur, sedandas Controuersias,

LIBRI III.

IODOCO HARCHIO MONTENSE Medico authore.

DEVTER. 32.

Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi: seniores tuos, & dicent tibi.





VORMATIAE
APVD DAVIDEM CEPHALAEVM

LIBRORVM III.

ARGVMENTVM.

Primus tractat de dignitate & mysterio sacrosanctæ Eucharistiæ.

Secundus de debita veneratione Eucharistiæ, & necessaria illius sumptione sub vtraque specie.


Tertius de vero vsu & intellectu tàm visibilis quàm spiritualis sacrificij, & de illius magno & horrendo hactenus abusu.





IODOCVS HARCHIVS MONTENSIS MEDICVS

OMNIBVS IIS, QVI IESV CHRIsti sacrosanctum nomen profitentur, tàm Catholicis quàm Euangelicis vulgo dictis, Principibus illustrissimis, Rebuspub. clarissimis, pacem & charitatem precatur Christianam.



T NEMO est, qui satis admirari queat, Principes potentissimi, clarissimi Ciues, mutuum illum inter sese Angelorum consensum, quo throni dominationibus mixti, & Archangeli cum Cherubin imparibus licet ordinibus consociati, Deo concordi voluntate famulantur. Ita excedit captum humanæ mentis, quomodo in hac visibili rerum facie omnia sibi ordine quodam consentiant. Videmus enim inferiora hæc rebus generandis necessaria elementa quodammodo à superiorum cœlorum nutu pendere, neque prius suos effectus edere posse, quàm ista in illorum gremium nescio quid sui benignius diffuderint. Alioqui quî fit, vt elementorum inter se commixtio nihil perfectum efficiat, nisi cœlestium benignitas secreto caloris afflatu vitam contribuat? Iam quis in Microcosmo non admiretur firmam illam animæ cum corpore connexionem per tenuissimos spiritus, pro quorum varietate variam quoque triplicium operationum videas naturam? Quòd si Platonicam rempublicam intuearis, quam effatu etiam, nedum explicatu erit arduum, quo pacto illa se suis pulchrè sustineat viribus, quandiu scilicet & Dei & hominum rectè institutis legibus obediendo, plebi cum magistratu conuenit. Proinde vt horum ratio est difficilis, ita videre est, Deum omnibus rebus ordinem quendam indidisse, quo alia alijs aut imperent aut seruiant. Qui quidem or-

In omnibus rebus Deus ordinem constituit.

Confusus rerum ordo in natura quid generet.

do si confundatur in rerum natura, pro rebus genuinis, monstra quædam generari solent: si in hominis spiritibus mors ipsa subsequitur: si in Angelis, vt semel factum est, per dæmonis superbiam destinatur infernus: si in republica, omnium & dissidiorum & errorum portentum quoddam efformatur. Priorum exempla & nunc & olim ex publico naturæ errore manifesta sunt. Posterioris verò generis permulta viderunt Græci, plurima Romani: at hisce nostris temporibus quæcunque exhiberi poterant, viderunt florentissimæ Germanorum, Anglorum, Gallorum respub. Quinimò ante aliquot secula vniuersus & Oriens & Occidens. Nam vbi semel placuit nimiũ & Dei & sui oblitis Romanis Pontificibus, qui in humilitatis sedem se successisse magnifico interim rerum externarum apparatu, gloriabantur, Domini nostri Iesu Christi institutis, & neglectis & euersis, suæ inuentionis præponere culturam, vtpote aut commendabiliorem, aut diuinis rebus maiore ornamento futuram, nihil sic fuit ex Deo, quin ferè in dæmonis formam sit transmutatum, nihil sic veram sanctitatem redoluit, quin in hypocrisim abierit. Deniq; nihil sic fuit à Domino sancitum ad pietatem & humilitatem, quin mox superbiæ & impietatis asciuerit laruam. Vnde factum est, vt paulatim subducentibus se colendi & cognoscendi Dei veris rationibus, crassa & damnabilis rerum salutiferarum ignorantia, superstitio intoleranda, idololatria quoq; nunquam à Christianis expectanda, præcipua fuerint thura & holocausta, quibus nobis placari Deum, & docuerunt cæci Pontifices, & paribus cum illis implicata erroribus plebs, tum credidit, tum persuasum habuit. Hinc iure merito iratus Deus, horrendis quotidie & inauditis plagis mundum afflixit, vt saltem tantarum tribulationum & atrocitate & crebritate miserabile genus mortalium admonitum tandem resipisceret, & ad vnius & solius veri Dei cultum, relicta idolomania, sese conuerteret. Neque enim quicunque Deum adorant (ait Cyrillus libro quarto in Iohannem, capite vigesimo quinto.)

Cur Deus tot & tã uarijs calamitatib. mundum affligit.

Deo

Deo accepti sunt, sed qui recta fide adorant, qui pauci sunt (inquit). Quamobrem singulari Dei beneficio, bonitate, & prouidentia per singulorum temporum curricula, per singulas ferè totius orbis prouincias extiterunt tum pietate diuina tum eruditione excellentissimi homines, qui calamitatũ causas flebili concionandi modo hominibus explicarent, & futuræ damnationis pericula præmonstrarent. Quibus tamen tantum abest vt creditum sit, vt potius illi ipsi ad horrenda fuerint pertracti supplicia, & infamiæ hæreseosq́ perpetuæ notam incurrerint. Ista non esset mihi difficile ex veterum historiarum aceruo huc allata delineare verbis tum admiranda, tum deploranda, nisi nostra ætas oculis etiam nostris plura quàm velimus obijceret. Quorum si quis aut velit, aut possit imagines intueri, adeat Angliam, Scotiam, Galliam, vbi inueniet quod et lachrymis prosequatur ob pietatem si quam habet, & quod orationibus veluti vindictæ cupiditate persequatur, si quis Dei zelus animum occupet. Quis alioqui citra lachrymarum fontem videre possit infinitos ignes instructos à Christianæ religionis (vt putantur) coryphæis, in quib. & nudi & viui exurantur tũ sanctitate, tum eruditione clarissimi verbi Dei ministri, infantes pueri & puellæ, viri, et nobiles matronæ numeroinfiniti penè. Sed quamobrem obsecro? Quia nimirũ omnem honorem, omnẽ gloriam soli Deo debitã, Deo quoq; seruatam voluerunt. Quia omne quod è supernis manat ad nos beneficium, soli & vni Deo tum acceptũ ferendum, tum ab eo expectandum postulandumq́; per fidei preces quia deniq; vnicũ Deum & inuocare, & illũ in solo spiritu et veritate potissimũ adorare constanter docuerunt. Scio quid huc adferre soleant nõnulli, cũ dicunt merito eos talia passos. Primò quia Patrum Apostolorumq́; reijciunt traditiones & doctrinam non scriptam. Secundò quod Eucharistiam adorare nolunt, quæ est corpus Christi. Quibus sic est breuibus respondendum. Etenim quòd ad traditiones attinet, certum est, neminem magis eas spernere quàm faciunt Pontificij, non

Nõ omnes qui adorant Deũ accepti sunt Deo, sed qui recta fide id faciunt.

Cur tot Christiani exusti.

solum eas quæ Apostolicæ sunt, sed multo magis quæ diuinæ. Vnam atque alteram recitabo Apostolicam exempli gratia, quarum & contemptus & neglectus causa fuit eius quam videmus ruinæ ecclesiasticæ. Sic igitur scribit Leo primus, Episcopus vere magnus ante mille annos. Alienum est ab ecclesiastica constitutione vt qui in presbyterali honore aut Diaconij gradu fuerint consecrati, ij pro suo aliquo crimine per manus impositionem remedium accipiant pœnitendi, quod sine dubio ex Apostolica traditione descendit, secundum quod scriptum est. Sacerdos si peccauerit quis orabit pro eo? Vnde huiusmodi lapsis ad promerendam misericordiam Dei priuata expetenda est secessio, vbi illis satisfactio si fuerit digna, sit etiam & fructuosa. Hæc quidem Apostolica traditio, sed quis Pontificiorum hodie à tot sæculis obseruat? Scribit idem Leo ad Episcopum Narbonensem. Nulla ratio sinit (inquit) vt inter Episcopos habeantur qui nec à clero, nec à plebe sunt expetiti. Vnde cùm quæstio de male accepto honore nascatur, quis ambigit nequaquam istis esse tribuendum, quod non docetur fuisse collatum. En alteram & diuinam quoque teste Cypriano, teste Origene, teste Clemente, teste omnis vetustatis consuetudine Apostolicam traditionem, vt Episcopus non creetur sine suffragio plebis, at vbi hodie talis? Hæc si considerasset Franciscus Thurianus vir alioqui doctus non ita absurde scripsisset & confusè de Hierarchica ordinatione, in qua illud serio præterit quod ipsius Clemens in Apostol. cònstituti. in persona Petri dicit li. 7. cap. 2. Episcopum ordinari debere omni ex parte reprehensione carentẽ, et ab omni populo electum, qui, inquit, die Dominica constituatur in medio cleri & populi, & ab alio Episcopo alta voce tunc dicatur. Estne hic (ô Domini) quem petitis in rectorem? censetis eum dignum hac illustri gubernatione? fuitne & adhuc nunc est cultor veræ pietatis erga Deum, & iustitiæ erga homines? Domúmne suam recte administrauit? Demũ ijs annuẽtibus quod talis sit, per tres vices ordinetur.

Apostolicæ traditiones neglectæ à Pontificijs.

Presbytero olim alicuius criminis reo non concedebatur absolutio per impositionem manus, sed in locũ solitariũ perpetuo ad pœnitentiã relegabatur.

Alioqui

Alioqui (vt idem Clemens ait lib. 8. cap. 1.) qui sic non ordinatur, sed aut nequitia, aut imperitia, vel in Episcopatũ, presbyteratum, aut diaconatũ nec iustus, nec ueritatis studiosus, nec valens prædicare verbum Dei, nec procedens in mandatis Domini, qui talis non est, neq; certe Episcopus est (ait) sed falsò nomine gaudet, vt qui non à Deo sit constitutus, hæc Clemens. Cuperem nunc scire à prædicto Thuriano aut quouis Iesuitæ quomodo poterunt defendere suos presbyteros, pastores, & monachos, sacerdotes, ne dicã Episco. à falsitatis nomine et pseudo presbyterorũ? Scio adducent mihi illud Irenei dicentis li. 4. c. 44. Oportet ijs qui in ecclesia sunt obaudire presbyteris, qui successionẽ habent ab Apostolis, qui cũ Episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum patris acceperunt. Reliquos vero qui abscedũt à principali successione et quocũq; loco colligũtur, suspectos habere (nõ dicit exurere) vel quasi hæreticos et malæ sententiæ, vel scindentes et elatos, et sibi placẽtes, aut rursus vt Hypocritas quæstus spe aut vanæ gloriæ hoc operantes. Qui adferentes ignem alienũ, id est alienã doctrinã (audiant hæc pastores etiã qui aliquo nomine Euangelij gloriantur et orẽt humiliter Deũ pro cognoscẽda veritate) à cœlesti igne cõburentur. Hæc Ireneus Apost. penè discipul⁹. Nunc quid si ego D. Thuriano ostendã aut Oecolãpadium, aut Bucerũ, aut M. Lutherũ qui successionẽ habet Apostolicam & authoritatẽ ad prædicandũ per manus impositionẽ, idq; à Petri sede (si hoc requirit) demũ et ordinate electũ à clero et populo Vittẽbergensi in pastorẽ iuxta Clem. regulã, quid inquam ille cũ suis respõdebunt? Quod si alterũ membrum in eo requirunt, nimirũ vt Charisma veritatis habeat. Prodeant, et certent cũ Augustanæ confessionis authorib. Et si iudicẽ æquũ requirunt admittent (opinor) vtriq; August. clamantẽ. Non audiamus, hæc dicit Lutherus, hæc dicit Papa, sed hæc dicit Dominus. Audi igitur Thuriane teipso teste clamantẽ Dominũ Deũ per vocẽ Clementis. Episcopus eligatur à toto populo inculpatæ vitæ, erudit⁹, sãctus, et qui nouerit annũtiare populo

Qui sint habẽdi & honorandi pro ueris pastoribus.

Augustana cõfessio catholica.

verbum veritatis. Hoc esse faciendum affirmat Lutherus & fecit facitq; hodie. eius successio per vniuersam Saxoniam, Augustæ, Norimbergæ, Argentorati: produc huc tu talem vestrorum ordinationem. Rursus Dominus præcepit: Bibite ex hoc omnes. Lutherus Deo omnipotenti obediendum clamat, vos dicitis, Non est necesse. Dominus dicit: Inuoca me in die tribulationis tuæ. Hoc faciunt pij Euangelici & in pietate. Vos cogitis vestros etiam & defunctos inuocare homines. Dominus dicit: Adorabis Dominum Deum tuum, & illi soli seruies. Vos prætento igne & gladijs pertrahitis vestros ad imaginum lignearum cultum. Dominus dicit. Qui credit in me transiuit de morte ad vitam. Vos dicitis, transibit de morte ad pœnam. Dominus dicit: Cùm ea feceritis quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus. Vos affirmatis quod etiamsi vix inceperitis quidem facere quod præceptum est, vos habere opera supererogationis. Dominus dicit, Gratis sine operibus iustificatur homo, & credit ei Lutherus. Vos dicitis, opera mereri iustificationem. Dominus exigit obedientiam inchoatam iuxta sua mandata, & moralis legis obseruantiam pro cuiusque facultate possibilem, damnat autem supinos & contemptores: id quod diligenter annuntiant Euangelici. Vos præteritis Dei mandatis exigitis obedientiam iuxta traditionem humanam, & huic pollicemini ex opere operato & sine bono motu cordis ex fide vitã æternam. Sed redeo in viam. Videat nunc æquus lector vtri ecclesiæ adhærere aut velit aut debeat, illi ne, quæ vt sequitur, diuinam ordinationem, & etiã libenter sequeretur omnem Apostolicam traditionem si per tempora & charitatem liceret, an illi quæ & illam & hanc contemnit. Sed dicet aliquis forsitan non malo zelo, Papa & Episcopi dispensarunt super constitutionibus Domini: & sanxerunt (verbi gratia) sufficere laicis alteram speciem sacramenti. At audiat ille idem quid Bernardus confidenter pronuntiet libro de Dispensa. & precep. In diuinas traditiones (inquit) non cadit ab homine dispensatio, bene à Deo vbi & quando

Obediẽtia iuxta Dei mandata homini possibilis requiritur à Deo & mercedẽ habet in futura uita.

quando

quando ipse vult &c. Si igitur Papa est Deus, dispenset, & tu quisquis es in Pontificatu vtere securus dispensationis priuilegio. At si non est Deus, cogita quomodo dispones sermones tuos in die iudicij. Cæterùm quod ad reliquas traditiones hominum attinet (ne impingas etiam Euangelicis quod eas vt pote Apostolicas ferè, non obseruent) audi quomodo concludit Bernardus. Quæcunque ab hominibus instituta sunt propter charitatem, propter charitatem aboleri possunt. Hæc est mirabilis & proculdubio diuina Bernardi sententia, quæ securos reddere hodie potest pusillanimes euangelicos & præsertim pastores, & Episcopos (cuius forsitan virtute fretus nostro tempore reformauit suam Coloniensem ecclesiam optimus ille Archiepiscopus Coloniensis Hermannus Comes à Veda, si optimũ pastorẽ ingratissimæ oues audire voluissẽt) quod aut Romanas aut ecclesiasticas traditiones omnes non obseruent. Nam etsi fatendũ esset omnes eas quondã institutas pia vt vocant intentione siue ob charitatẽ, tamen quia creditæ sunt teste experientia in horrendũ venisse abusũ, aut pugnare contra charitatẽ, merito ob charitatẽ aboleri possunt. Miror proinde cur Germani aliquot Episcopi neq; omnino certè indocti, neq; mali, neq; (quod ad illorũ decus non potest non referri) sanguinis innocentũ Christianorũ cupidi, vereantur instaurare suas ecclesias freti hac Bernardi sent. Quòd si obstat doctrina nõ scripta de Primatu Pontificis & illius authoritate in omnes alios Episcopos, audiant ex Bernardo ad Eugeniũ Papã quousq; sese extendat talis eius potestas, si quã illi singularẽ, illi inquã ordinate vt diximus & electo & confirmato, concedere præ alijs oporteret. Ergo (inquit Bernar.) potestas vestra in sollicitudine est non in dominatione, in criminib. est non in possessionib. Nã propter illa accepistis claues regni cælorũ, præuaricatores vtiq; exclusuri non possessores &c. Audis lector, et quisquis in pontificatu Pastoris & officium & nomen legitimũ habes? In tua crimina habet Papa aut Episcopus potestatẽ, non in tuas possessiones, tui habet sollicitudinem non dominiũ. Si igitur tu

Solus Deus potest dispensare de suis statutis

Quidquid est ab hominib. institutum propter charitatẽ, propter charitatẽ potest omitti aut aboleri.

tibi nullius criminis conscius es, ob quod merito debeas excõmunicari, quid excommunicationis fulmina reformidas? Si probatus es et examinatus, si legitime à populo et clero electus si à tuo superiore confirmatus, si dictante hoc tibi cõsciẽtia, zelo pietatis & diuinæ gloriæ promouẽdæ studio, episcopatus aut pastoratus culmẽ appetijsti, scias te in solidũ tenere tuũ Episcopatum. Proinde iam gregem habes tibi à Domino concessum in quẽ quoq; & solam excomunicandi potestatẽ habes, cuius tu ipse reddes rationẽ non Papa pro te. Quare modo eum bene, ordinate, & iuxta Dei voluntatẽ ex eius verbo elicitã pascas, nihil ad Papam quomodo eum pascas. Conandũ tibi est omnibus modis, vt ille in viam salutis & portũ ducatur, tuæ prudentiæ hoc cõmisit Dominus, an per ambages traditionum melius an citra illas tutius deduxeris. An relaxando ad illius salutẽ etiam instituta ecclesiæ & quælibet vota, aut pœnarũ publica spectacula an retinendo. Proinde vt imperij tui in plebem & gregem tibi subditum, vt eius docendi & modos noris & limites à Deo, & tota antiquitate præscriptos, en subijcio tibi Chrysostomi & August. duas aureas sententias, quib. veluti gladio ancipiti resecare poteris omnes nodos difficilium quæstionum, quibus Pontificij hactenus miseras conscientias detinent vinctas veluti nodo Gordonio. Ait ergo Chrysostomus homel. 12. ad Ephes. Non dominamur fidei vestræ charissimi, neque Dominij aut imperij iure ista præcipimus, sermonis nobis doctrina commendata est, nõ principatus, nec potestatis authoritas. Ordinẽ tenemus consulentium & adhortantium. Qui consulit, sententiã suam dicens auditorẽ non cogit, sed in illius potestate opinionem liberam relinquit, in hoc culpabilis pastor omnis, si non quæ & decent & oportet dixerit. hæc ille: En Episcopũ præscindentem sibi omnem potestatem in ordinãdis cæremonijs, & charitati locum dantem? Proinde si bona et vtilia præcipit, christiani populi erit obedire, non illius ad obedientiam cogere, si quid ordinat ad ecclesiæ & religionis decorum & concordiæ charitatisq; vinculum, plebis erit recipere,

Duæ præclaræ sentẽtiæ Chry. & August. ad soluendas omnes hodiernas controuersias de autho.

Episcopus uerbi Dei doctrinam habet & gladium, non dominij in sua oues.

modo charitati liceat illa omittere, alioqui charitas illa omnia suffert, omnia sustinet. Iam ad doctrinã veniamus & audiamus Augu. scribentem ad Paulinam epist. 112. Si quid (ait) diuinarum scripturarum, quæ canonicæ in ecclesia nominãtur perspicua firmetur authoritate, sine dubitatione credẽdũ est, alijs vero testibus aut testimonijs quibus credendum suadetur tibi vel credere, vel non credere liceat quantum ea momenti ad faciendã fidẽ habere, vel nõ habere perpenderis. hæc ille, quem iuuat Ambrosius in Lucã dicens. Si non vis errare, sequere scripturam. Idem Chrysost. in Matth. Nemini ait credendum (necessario) nisi dicat vel faciat quæ conuenientia sunt scripturis, in quibus (addit Augu.) ecclesiã requiramus, nec audiamus hæc dicis, sed audiam⁹ hæc dicit Dominus. hæc illi. Cæterùm quia (vt ait Hieron. in Zacha. c. 1.) in scripturis sanctis sensum ac mentẽ magis quàm verba requirere debes, obserua diligenter lector, vt in interpretandis scripturis, quæ præsertim fidei & salutis negotium tangunt, non nouitatem tui cerebri sequaris, aut solius huius, illiusúe doctoris sententiam, sed (vt bene monuit ante mille annos Vincentius Lyrinensis) sequere vniuersitatem, antiquitatem & consensum, omnium vel penè omnium Patrum scripturam interpretantium, vel de aliqua re (hoc addam ad ecclesiæ nostræ pacẽ) nõ contra scripturam sentientiũ. Alioqui (vt vno exẽplo concludã) per Deum te obtestor amice lector, cũ D. Basilius magnus alioqui vir dicit in oratione quam de quadraginta Martyribus scripsit. Si quis in aliqua tribulatione fuerit, hos sanctos inuocet, & cùm Origenes illo longe antiquior & forsitan doctior dicat cõtra Celsum. Omnes interpellationes, omnia vota, deprecationes & gratiarum actiones destinandæ sunt ad Deũ, Angelos autem inuocare non est rationi consentaneũ, et hoc ipsũ prohibet ne quis audeat preces offerre, nisi soli Deo, qui vnus omnibus abunde sufficit per seruatorem Dei filiũ Iesũ Christũ, obsecro, inquam, vtrius consilium potius sequi velles Basilijne an Origenis? præsertim etiã cùm et hic habeat

Credendũ est quicquid in scriptura cõtinetur interpretatio ab antiquitate & consensu petenda.

Ecclesia in scripturis requirẽda.

Antiquitas, vniuersitas, & cõsensus omnium uel penè omnium patrum scripturam interpretantium sequendus.

secum verbū Dei et scripturam præcipientē (cui & Basilius et August. & quilibet sanctus cedere & debet & oportet, alioqui væ illis) & dicentem. Inuoca me in die tribulationis tuæ & ego eripiam te et glorificabis me. Restat nunc Eucharistia quā Pontificij adorandam esse dicunt, quia est & vocatur Corpus Christi. Graue argumentum profecto à scriptura deductū, si non esset ambiguum. Sed quid si ego sic quoq; à scriptura argumenter. D. Petrus est corpus Christi & os de ossibus eius & caro de carne eius, ergo est adorandus, quomodo argumentum soluēt? Eget ergo, vt vides lector interpretatione hæc vox corpus Christi. Nam si panis quem dedit Discipulis Dominus & hodie adhuc dat est proprium & naturale corpus Christi, errauit ergo tota antiquitas, tota vniuersitas Patrum, totus illorum de hac re consensus. Si ergo Eucharistia naturale corpus Christi est, & illud ipsissimum quod in cœlum post resurrectionem ascēdit, errauit Damascenus qui ait lib. de orthodox. fide. Dominus coniungit cum pane & vino suam diuinitatē & panem facit carnem suam. Corpus tamen Christi non descendit de cœlo in panem. Errauit quoque & Cyrillus in catechesi sua dicens: Panis non est post consecrationem nudus & simplex panis, sed cum eo diuinitas. Fœdè errauit Tertullianus exponendo hoc modo verbum Christi. Hoc est corpus meum, intellige, inquit, est figura corporis mei. Cui fœdè consensit Augustinus cum ait. Non veritus est Dominus dicere, hoc est corpus meum, cùm daret figuram sui corporis. Mala est definitio Clementis Alexan. dicentis, Eucharistia est temperatura vini & verbi. Male dixit Origenes: Panis Domini in ventrem abit & per ventrem recedit, de quo mali edere possunt, at de verbo quod caro factum est nullus malus edere potest. Errauit Chrysostomus cùm ait. In hoc calice neque verum corpus neque verus eius sanguis continetur, sed mysterium illius. Male dixit Rabanus. Quia Christum oportuit ascendere in cœlū, quando cōmunicamus eo mentē dirigere debemus. Reliquit. n. nobis in terra sui corporis figuram seu characterē.

Errauit Epiphanius in An. dicens: Eucharistia habet id quod est secundum imaginem Dei, non tamen ad æqualitatem, sed per gratiam. At ipsum Dominū nostrum nouimus totum sensitiuum, totum mouentem, totum lucem, sed qui id Eucharistiæ & nobis cum gratia largitus est. Errauit Gelasius Pontifex, dicēs: Sacramenti substantia manet, licet mutetur in diuinam naturam. Non dicit quòd mutetur in Deum. Errauit deniq; (vt finem faciā) Theodoretus Cypri Episcopus, cū ait. Non mutauit Dominus substantiā panis, sed illi addidit gratiam sui corporis. Cui errans consentit Theophylactus in Luc. dicens: Dominus panem conuertit in virtutem aut gratiam sui corporis. Idem Augustin. Domino dicente: Quid si videritis Dominum ascendentē vbi erat prius, tunc scietis, ait, quòd gratia corporis eius non consumitur morsibus. Iterum: Si Eucharistia est ipsissimus Christus, malè dixit Paulus, quòd sit panis Domini, qui sit à nobis manducandus, donec veniat Dominus. Malè dixit ad Heb. 8. Quòd si Dominus noster Christus esset super terrā, nollet esse sacerdos secundū legem. Malè cum ipso errauit August. in Psal. 75. dicens: Si Dominus noster Christus esset super terrā, vndiquaq; conueniremus cū muneribus, nunc aūt ascendit, & sursum est, veritas autē eius nobiscum, cui offeramus munera, humilitatem scilic. Malè illi consentit Hieron. in Prouerb. dicens, Christus nunc corporaliter non est in Ecclesia: surgens enim, ascendit in cœlum. Dicet hîc forsitan aliquis Vbiquista. Fateor, non est nobiscum visibiliter, at adest inuisibiliter: nam postquam glorificatus est, iam vbique est: Errauit ergo Augustinus, qui cum Scriptura & tota antiquitate dicit in Iohannem 50. Vnus Iesus vbiq; per id quòd Deus est, in cœlo autem quod sursum est, & quod oculis videmus, per id quòd est homo. Semper quidē diuinitate nobiscum, sed nisi corporaliter abijsset à nobis, semper eum carnaliter videremus. Errauit cū eo Origenes dicens: Non est homo Christus, vbicunque duo vel tres fuerint in nomine eius congregati, sed virtus diuina, quæ est in Christo, neq; hæc dicentes,

inquit, Christum soluimus, sed vnicuique naturæ suam proprietatem seruamus. Errauit Cyrillus, dicens in Ioh. Credere omnes Christianos oportet, quòd quamuis Christus à nobis absit corpore & anima, semper tamen diuinitate est præsens. Hæc igitur habes Lector, quæ te certiorē reddere poßunt, quòd Eucharistia non sit corpus Christi ipsißimum. Quid ergo dices: Fallit nos Christus, nihil nobis dat in cœna præter panem, vt Zuingliani dicunt, & qui Caluinū sequi videntur? Absit. Verè enim ipsa Eucharistia est caro Christi (vt ipse Christus ait) & consentit Iustinus, Irenæus, Augustinus, & alij, vere, inquam, est corpus Christi, at non illud quod in cœlo est, sed sacramentū illius, gratia caro, non natura, potestate siue virtute, non actu. Deniq; in pane est veritas carnis Christi, non ipsißima eius caro, quæ sursum est, gloriosa, tangibilis, visibilis, & animata. Proinde certum est quod dicit Cyrillus, ore totius antiquitatis scribens ad Calon. in hæc verba. Non horremus carnem & sanguinē apposita sacris altaribus. Condescendens enim Deus, nostris infirmitatib. infudit in panem & vinum vim vitæ, & ea conuertit in veritatem suæ carnis. Sic dicit Theophilus Alex. Dominus panem & vinū conuertit in veritatem suæ carnis. Sic dicit Irenæus: Eucharistia verè Christi caro est. Sic Concilium Nicænum: Verè eius carnem comedimus, & verè eius sanguinem bibimus. At nota benè, non dicunt, quòd sit vera eius caro, aut quòd comedimus verā eius carnē, sed verè. Et quare rogas? Respondet Cyrillus: Quia sacramētum nostrum non stabilit anthropophagiam, quia horrendum est, & scelus quoddam comedere crudā hominis carnem. Deniq; (inquit August.) quia non est fas Christum vorare dentibus. Certum est igitur, ex his fœdè erraße, ne dicam impiè, Pontificios, quorum vnus, Thomas scil. dixit, Apostolos, si celebrarunt cœnam, cùm Christus eßet in sepulchro, comediße Christum mortuum, & sine anima: aliàs (ait q. 74) nunc comedimus eum cum sua anima et quantitatibus per concomitantiam. Aßirmat amplius Biel ille Tubingensis, dicens.

Vera de Eucharistia doctrina ex Cyrillo.

Horrenda doctrina Thomæ de Aquino & Pontificiorum.

Apo-

Apostoli ante passionem comederunt Christum mortalem, nunc verò ore comedimus immortalem. Sic Rupert. in Iohan. Christus, ait, est in sacramento in ea specie, qua lanceatus est, & pependit, O dogma, ne Turcis quidem ferendum. Et miramur, ô Principes, si Deus punit orbem? Mitius ergo & verius Augustana vestra cõfessio, si bene intelligatur, ait, quòd Christus adest sacramento, nõ solùm efficacia (ait Melanchthon in Apologia) sed etiam substantia. Hoc est ergo, quod hoc tractatu probare intendo. Sacramenta non esse nuda signa, sed quòd (vt ait Cyprianus de Cœna) visibilibus sacramentis ineffabiliter diuina sese infuderit & adsit essentia. Vnde certò constabit, quomodo panis dicatur caro Christi, idq; in veritate, non inani nomine per mysticam benedictionẽ à sacra Christi carne in panem & vinũ illapsam (ait Cyrillus) non per realem coniunctionẽ veræ carnis ipsius siue gloriosi corporis cum pane. Quare bene cognita, pax omnibus Euangelicis ecclesiis restitui poterit, opinor. Cuius rei & laudem omnẽ & felicem successum, si quis is erit, vni & soli Deo vt tribuo, ita ab omnibus Christianis tribui cum multa gratiarum actione, & tribui posco & flagito, qui alioqui iudicio Ecclesiæ Catholicæ & omnium Academiarum Euangelicarum humiliter me subijcio. Quis alioqui ego sum, nec professione Theologus, nec rerum aliarum celebris, qui post & tantos viros de tam difficili mysterio pronunciare audeo? Nisi fortè hæc sit diuinæ prouidentiæ abyssus, qua interdum Dominus sua secreta hominibus reuelat, & effatur admirabilia etiam per idiotas & asinos, qui mutos reddit eloquẽtes, & qui sterilitatis ratione tristes, inuerso naturæ ordine beata prole lætificat. Cuius rei vt aliquam vobis fidem faciam, Principes potentissimi, & Ciues clarissimi, en suscipite hanc qualemcunq; zelo tamen pietatis in lucem à me editam, voluntarij mei exilij pro concordia religionis fœturam, vos, inquam, qui tot iam annos tanto cum vitæ periculo, & bonorum vestrorum iactura, in pulcherrimam tum indagandæ, tum tuendæ veritatis curam incum-

Visibilibus sacramentis ineffabiliter diuina sese infundit essentia.

bitis. Quocirca sint licet, qui in Principibus & clarissimis Rebuspublicis audire gestiant bellicas virtutes, quibus aut eorum progenitores, aut prædecessores claruerunt, quo & illis talium rerum æmulis gratulentur, malo tamen eiusmodi rerum encomiuum, si quod inde elici potest, ijs relinquere celebrandum, quibus & factorum magnitudinem & præstantiam, facundo pariter orationis genere adæquare dabitur. Sat mihi erit in præsentiarum pro tenuitate, qua præditus sum, loquelæ, quòd eas in vobis & commendem, & admirer virtutes, quæ solæ, quicquid aliàs defuerit, ipsos & Reges, & Principes, & Respubl. exornant, quæ sunt studium promouẽdæ veræ religionis, gloriæ Dei, & iustitiæ quas Deum omnipotentem precor, vt in vobis & augeat, & conseruet ad animarum vestrarum sempiternam salutem.

Argentorati, Calen. Augusti. Anno Domini M. D. LXXIII.

PRO SEDANDIS RELIGIONIS CONTROVERSIIS

Liber Primus.

Ad Pontificios, tractans de dignitate & mysterio sacrosancta Eucharistia.

AVTHORE IODOCO HARCHIO
Montensi Medico.



ENIO ad grauissimam nostræ religionis controuersiam, quæ de Eucharistia est, quam tanto operosius enucleare, tanto diligentius excutere necesse est, quo magis ad animæ nostræ salutem est necessaria: quum contineat (ut ait Cyprianus tractatu de cœna Domini) & mysteriorum & secretorum diuinorum summam. Licet autem egeat ipso Dei spiritu, qui de spiritualibus dicturus est, quem hactenus nec fidei meæ tenuitas, nec charitatis ignis tepidissimus ab omnipotẽte Deo potuit liberalius impetrare, opto tamen nunc & supplici desiderio animi deposco, vt adsit euocatus, humiliq; prece sollicitatus, suggesturus ad Iesu Christi gloriam imprimis, deinde ad meam aliorumque salutem, id quod facto opus erit, ut quod Salomon Prouerbiorum 22. requirit, nos animi promptitudine quadam exequamur. Nimirum ut qui iam sedemus ad mensam potentis, diligenter attendentes quæ nobis apposita sunt, talia & illi præparemus. Nam si de Domini corpore in hoc sacramento uerè manducamus, cùm illi deliti æ sint esse cum filijs hominum, necesse est quoq; ut nos illi de sua carne in nobis escã præparemus. Experia-

Euch. mysteriũ continet & mysteriorũ & secretorũ diuinorũ summam.

mur igitur (eodem adiuuante Domino) an nos qui hactenus de sanctificatis per ignorantiã comedimus, quintam ad id partem sufficere possimus, vt præcipit Leuit. Id quod fit (inquit Rabanus ille) quando visibilia interior homo transfert ad inuisibilia & intelligibilia, & sic virtute fidei Christo concorporatur, aut dum exteriores corporis sensus intus ad spiritualia conuertuntur. A qua doctrinæ ratione quàm abfuerint scholæ Pontificiorum, apparebit ex dicendis. Nam etsi quomodo Christi caro manducetur, ipsi multum desudantes multis verborum sententiarumque labirynthis sese inuoluant vt rem explicent, totum tamen implicatum relinquunt tandẽ. Id quod ferendum erat, nisi veluti pro coronide, nonnulli ex illorum grege (Hosium Cardinalem, & Lindanum intelligo) horrendum & letalẽ opinionis suæ de Christo dentibus manducando infigerẽt aculeum. Cæterùm videamus an Deo nostros conatus adiuuante tanto veneno remediũ & antidotõ inuenire possimus. In cuius rei spem ex eo adducor, quod mihi persuasum sit, me (gratia Dei) ex ijs esse si non opere, animi tamen æmulatione pia, de quibus loquitur Diuus Basilius lib. de Spiritu S. cùm ait. Gaudeat omnis anima quæ de diuinis quærit, si modo talem habet oculum, vt talia, quæ sunt inuisibilia & aditu difficilia sensim & videre & quærere possit. Nam si sic quærit apud eum quem quærit habitare potest: tum autem habitat, quando cum fide quærit. Nam etsi non inuenire accidat, nõ tamen remouetur ne in fide eius habitet quem quęrit, sed dicit cum Dauid: Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam. Et secundum Patrem lunatici: Credo Domine, adiuua incredulitatẽ meam. Cum igitur talem habeamus intentionem de natura huius diuinissimi Sacramenti quæramus, ipse enim qui quæritur ipse est qui quæsitis dabit cognitionem

Quid sit addere quintã partẽ sanctificatis

Quis sine periculo inuestigat mysteria Dei.

tionem vti spero. Animaduertamus igitur diligenter, quæ fuerint de venerabili hoc mysterio, imo quæ nunc adhuc sit tum sacræ scripturæ tum veterum Patrum sententia: Quo iuxta Vincentij Lyrinensis saluberrimum consilium, antiquitatem sequentes, vniuersitatem & consensum, tam ardui negotij veritatem eliciamus.

In antiquitate uniuersitate, et consensu omnium patrum acquiescendum.

Est igitur hoc sacramentum singulare quidem & inexplicabile Dei donum, destinatum ad totius corporis Christi alimoniam, mysticumque totius ecclesiæ Christianæ alimentum, vt fatentur omnes omnium ætatum doctores. Cæterùm quia noluerunt infiniti Euangelici hoc adorare nutrimentum, deinde fateri, idipsum quod oculis videtur & manibus tangitur, tum ore dentibusque premitur, sit ipsemet realiter Christus occultatus sub specie & accidentibus panis & vini tantum, quia inquam noluerunt hoc credere & fateri, meritò exusti sunt, vt dicunt nonnulli Pontificij. Verùm quid ad hæc dicam? Quisnam putas incitauit eos ad tantam animi pertinaciam, vt non dubitarint potius mortem oppetere, quàm adeo impiæ doctrinæ consentire? Nescio: nisi fuerit ipse Diuus Paulus, qui, Quotiescunque (inquit) panem Domini & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat. En panem Domini vocant Eucharistiam: ergo non est Dominus. En & illud, donec veniat, nondum igitur venit in panem, neque est in pane. Nec est quod quis hic tergiuersetur & dicat, Donec veniat, scilicet visibiliter: nam hoc addere scripturæ est & torquere illam. Quare verbis Apostoli simpliciter inhærendum, quorum sensus etiam pueris manifestus est. Nam quis non intelligit & inde inferre potest. Hoc mihi comedendũ est donec herus veniat; ergo herus nec præsens est, nec comeditur.

Cur tot euangelici exusti.

Manducanda est Euch. in memoriã Christi donec ueniat Christus, ergo Euch. nõ est ipse Christus.

Sic intellexit D. Hieronymus in 1. ad Corin. scribens super illud: mortem Christi annuntiabitis donec veniat. Tamdiu, inquit, memoria opus est, donec ipse venire dignetur. Sic facit qui peregrè proficiscens aliquod pign⁹ ei quem diligit relinquat, vt quotiescunque illūd uiderit possit eius amicitias & beneficia commemorare, quod uidere non possit (si diligit) sine fletu & ingenti desiderio. Stabiliunt hunc sensum & ipsa Christi verba ad Apostolos cùm ait, hoc facite in mei memoriam. Quis porro nescit memoriam fieri absentium non praesentium? At dices: verba Domini etiam clara sunt, cū ait: Hoc est corpus meum. Respondeo clara quidē sunt quinimò & uerissima, sed quia in eorum simplici sensu reluctatur & oculus & tactus, necessum est ut subueniat intellectus. Peccat proinde (ut ait in Ioann. Cyrillus) qui ueluti temulentus exclamat. Quomodo potest hic nobis dare corpus suum ad manducandum? sed nū peccat, qui in re ardua credens Christo, humiliter petit quomodo? Hac doctrina fretus forsitan Augustinus libro de Baptismo ad infantes. Christus, inquit, ascendit in cœlum quo die uoluit, illic modo est, quomodo ergo est hic panis corpus eius? Vides quod illud (Quomodo) non sit peccatum, ubi non parit uerbi Dei contemptum ex incredulitate, sed humile discendi desiderium? Quid quòd omnibus Christianis necessarium est, multò minus explodendum, ne de sanctificatis mysterijs comedat quis per ignorantiam. Et sic grauiter peccet ut habet Leuiticus: testante id Cypriano lib. de unctione & dicente. Christus dedit corpus suum Iudaeis crucifigendum. Apostolis uero panem & uinum, ut ipsi docerent populum quomodo panis est corpus eius, percipis lector? Si Apostoli & eius successores debent docere populum, quomodo panis siue Eucharistia est corpus Christi, nónne etiam tenetur populus idipsum diligen-

In assertionib. diuinis (Quomodo) non est sēper infidelitatis signum quod interdū etiā est necessarium.

ligenter exquirere? & quamobrem dices? quia (respondet Chrysostomus in Iohannem) litera & carnalis horum Christi verborum intellectus occidit. At literaliter siue carnaliter (inquit) intelligit verba Christi, qui illa, vt dicuntur, accipit, nec aliud excogitat. Miror quid ad hunc respondebitis vos Pontificij, qui ferro & igne exigitis ab omnibus Euangelicis, vt credant quòd Christus inuisibiliter cum carne & anima, ossibus & neruis (sic habet Censura Tridentina) latet sub accidentibus panis & vini, interim Chrysostomus cum multis alijs minatur nobis mortem accipientibus & intelligentibus Christi verba de manducando corpore suo literaliter siue carnaliter. Idem nobis minatur & Origenes in Leuiticum 7. asserens, moriturum eum, qui hæc Christi verba, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis: ad literam intelliget. Non minus policetur & Augustinus in Psalmum octuagesimum nonum. Non hoc corpus quod videtis manducabitis, inquit, nec bibituri estis illum sanguinem, quem fusuri sunt qui me crucifigent: Mysterium vobis commendo, spiritualiter intellectum viuificabit animas vestras. En paucis Augustini mentem de Eucharistia, amice Lector. Hoc est corpus meum (inquit Christus,) exponit Augustinus: Non illud quod videtis, sed mysterium siue sacramentum illius. Intelligite Christum spiritualiter, & viuificabit vos: ergo si carnaliter, occidet vos, &cæt. Non ergo damnabitis me, opinor, si horum & vestigijs & præceptis insistens, humiliter inquiram, quomodo verum sit quod dicit Dominus, Hoc est corpus meũ. Simul quoque si fideliter pro talento mihi à Domino concesso doceam populum cum Augustino, quomodo panis est corpus Christi. Audiamus igitur & Scripturæ & Patribus consentientem & sic inclamantem Cyrillum ad re-

Intelligit carnaliter uerba Christi de manducanda sua carne, qui illa ut dicuntur accipit, nec aliud excogitat.

Qui uerba Christi de sua carne manducanda intelligũt carnaliter, morientur.

prehensionem Theodor. Sacramentum nostrum, ait, non asserit ἀνθρωποφαγίαν, hoc est, hominis manducationem, nec mentes quæ piè credunt de Christo, extrudit ad tam stultas & impias cogitationes, vt de rebus cogitent, quæ non possunt apprehendi nisi sola, pura, & exquisita fide. Audis Christiane Lector? Pontificij dicunt, quòd Christus verus Deus & homo manducetur ore & dentibus in Sacramento, at Cyrillus dicit, quòd vel hoc solùm cogitare sit impium, vt reuera impijssimum est. Corroborat Cyrilli sententiam audacter Augustinus libro Sententiarum Prosperi. Non est fas, inquit, vorare Christum dentibus. Quare (ait libro tertio de Doctrina Christiana) cùm dicit Dominus: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis, quoniam facinus vel flagitium præcipere videtur. Figuratam esse locutionem intellige, qua præcipitur, passioni Domini esse communicandum, & diligenti memoriæ mandandum, quòd Christus pro nobis mortuus est. Hæc Augustinus. Ex quo diligenter collige Lector, quòd manducare carnem Christi (naturalem dico) est beneficium mortis Christi & totius passionis eius seriem ad memoriam reuocare, credere quoque, quòd pro te mortuus est, & deniq; cum eo in nouitatem vitæ resurgere. Augustini sententiam probat & ipse Cyrill. in Ioannem libro secundo, capite quinquagesimo octauo. Mysticæ benedictionis communio (inquit) resurrectionis & mortis Christi quædam confessio est, fractum enim panem distribuebat dicens, Hoc est corpus meum. Proinde participatio mysterij vera quædam confessio est & commemoratio, quod propter nos & pro nobis Christus mortuus sit & reuixerit, & propter hoc diuina nos benedictione replet. Percicipis

Sacramentum nostrum nō asserit hominis manducationē

Cogitare solū, quòd homo aliquis manducetur in Sacramento, est impium.

Quid sit manducare ueram & naturalem carnem Christi

Participationē mysticæ benedictionis appellat diuinitatis participationē per gratiam.

cipis opinor Cyrilli mentem, Christiane Lector, vnde hæc potest deduci sequela. Corporaliter Christo vnimur, quando carnem eius manducamus, manducamus carnem, quando carni eius participamus. Participamus autem, quando ab eo suscipimus benedictionem viuificantem, suscipimus benedictionem quando mortis & passionis Christi facimus fidelem confessionem & commemorationem, ergo confessio & commemoratio passionis est manducatio carnis. Asserit hoc quoque & Hesichius in Leuiticum, dicens, Nisi Christus mortuus fuisset, non potuissemus eius carnem manducare, sed nunc comedimus, quoties passionis eius memoriam facimus. Hæc ille. Ex quo iam certus es, quòd Christus vt homo neque sit neque manducetur in Sacramento realiter, sed (vt disertis verbis enunciant prædicti doctores) spiritualiter tantùm, aut per commemorationem passionis, aut denique sola fide. Id quod sic iterum probat Augustinus in Iohannem. Christus (inquit) dicit se esse panem qui de cœlo descendit, hortans vt credamus in ipsum: Credere enim est manducare, quid ergo paras os & dentes? Crede & manducasti, &cæt. Proinde tantùm abest, vt naturalem Christi carnem manducemus ore, vt nullus vnquam fuerit mortalium, qui eam ab eo tempore, quo in cœlum ascendit, tetigerit manu. Hinc D. Ambrosius in Lucam. Tangimus Christum (inquit) non corporali tactu, sed fide tantùm. Consentit illi Augustinus in Iohannem: Dominus, ait, nos consolatur è cœlo, quem manu contrectare non possumus, sed fide. Conuenit cum eo & Cyrillus in Iohannem libro secundo, capite octuagesimo tertio. Ingreditur Christus in nos per fidem & per Spiritum Sanctum inhabitat.

Sola fide aut per commemorationem passionis fidelem manducatur Christus. Nã credere, ait Augustin. est manducare.

Astipulatur omnibus his & Paulus ad Ephesios capite tertio. Flecto, ait, genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, vt det nobis bonitatis suæ virtutem corroborari per spiritum eius, & habitare Christum per fidem in cordibus nostris. Audis ergo lector, quòd sola fide apprehendimus & tangimus Christum in quantum homo est? Vt igitur semel de ea re dubitationem eximas, audi & nota Diuum Augustinum tractatu in Iohannem. Quomodo, ait, tenebo absentem? quomodo mittam manum meam in cœlum, vt ibi sedentem teneam? respondet: Fidem mitte & tenuisti. Parentes tui tenuerunt carne, tu tene fide, quoniam ipse absens, etiam præsens est. Nisi enim præsens esset, à nobis teneri non posset. Sed quoniam verum est quod ait, Ego vobiscum sum vsque ad consumationem seculi, & abijt, & hîc est, corpus suum in quo resurrexit intulit cœlo, quod in vno loco sit oportet, maiestatem autem non abstulit mundo. Secundum hanc diuinitatem impletur quod dictum est, Ego vobiscum sum vsque ad consumationem seculi. Sed secundum carnem, quam accepit Dei Verbum, impletur quod dictum est, Me autem non semper habebitis. Nam Christo, vt homini, Deus Pater post resurrectionem dedit immortalitatem, naturam non abstulit. Proinde non est consequens, vt quod in Deo est, sit etiam vbique vt Deus. Cauendum enim, ne sic diuinitatem astruamus, vt auferamus veritatem carnis. Nam quando caro Domini erat in terra, certè non erat in cœlo, & nunc cùm sit in cœlo, non est in terra. Hactenus D. Augustinus, cui ad verbum astipulantur & Vigilius & Fulgentius ille cum tota antiquitate: quibus authoritatem addit Concilium Chalcedonense sub Leone primo contra Eutychem.

Oportet ut Christus sit in uno loco propter ueri corporis modum, ait Augustin.

Omnium

Omnium prædictorum sententiam approbat & Cyrillus lib.9.in Ioan.c.6. Credere(inquit) oportet, quamuis Christus à nobis corpore absit, virtute tamen sua omnia & nos gubernari. Nam quemadmodum quando vt homo in terra conuersabatur, tum etiam cœlos implebat & Angelorum consortia non relinquebat, sic etiam cùm sit in cœlis cum carne, diuinitatis tamen maiestate terram replet, & cum ijs est, qui eum diligũt. Quamuis enim solum secũdum carnem erat abiturus, adest tamen virtute deitatis. Hactenus Cyrillus, & quid nũc desideras amplius, amice lector, vt tibi persuadeas quòd Christus vt homo non sit in terra, multo minus vt deuoretur dentibus (horreo loquendo) in Sacramento. Vis igitur scripturam quoque, audi & Paulum idipsum claris verbis & cum iuramento affirmantem ad Hebræ.8. Certè (inquit) si Christus esset super terram, nec esset sacerdos, cùm essent qui offerrent secundum legem munera. hæc ille. Cui si iungas quod ad Corinth. dicebat. Quotiescunque manducabitis panem hunc, mortem Domini annuntiabitis donec veniat, quid dubitas affirmare Christum (in quantum homo est) esse in vno loco cœli propter veri corporis modum, quanquam, vt idem Augustinus ait de fide & symbolo, vbi & quomodo sit in cœlo, curiosissimum & superuacaneum sit quærere, tantummodo in cœlo esse eum (inquit) credendum est. Non enim est fragilitatis nostræ cœlorum secreta rimari, sed est nostræ fidei, de dominici corporis dignitate sublimia & honesta sapere. Quæris forsitan vbinam est cœlum (hoc enim semel à me quęsiuit magni nominis theologus, & magnopere miratus sum) Audi quid respondeat Augustinus in Psal.122. De terra, inquit, Christus in cœlum ascendit. Ecce terra deorsum quam pedibus calcamus, ecce cœlum sursum quod videmus oculis nostris. Sic Hierony-

Christus abest à nobis corpore.

Oportet vt Christi corpus sit in cœlo, quomodo verò & vbi, nõ est fidei nostræ inquirere, sed credere.

mus in Episto. ad Galatas, Infernum sub terra esse (inquit) nemo ambigit. Et Christus qui descendit cum anima in infernum, cum anima & corpore ascendit in cœlum: Hactenus Augustinus, cui addamus istud. Viri Israelitę (inquiunt Angeli) quid statis aspicientes in cœlum? Hic Iesus qui à vobis assumptus est, sic veniet. Cùm igitur visus sit ascendisse in cœlum verus homo, quis non reijciat somnia eorum, qui eum metaphysico aut nescio quo modo (vero tamen) volunt esse in sacramento, idque citra scripturam, citra veterum Patrum authoritatem. Nam quod Thomas cum suis, eum esse in sacramento affirmat, modo tamen non quantitatiuo, friuolum & impium est, aliud enim docet Augustinus in Ioann. tracta. 4. Quando (inquit) de forma serui cogitas in Christo, humanam effigiem cogita, si est in te fides. Si igitur totus Christus est in sacramento Deus & homo, vt ait Thomas ille, necesse est, vt cum cogito de homine, fingam mihi humanam formam in mente, quæ non est sine quantitate, & sic necesse est vt cogitem me comedere ore verum hominem, quod diximus esse impium ex Cyrillo. Iam si quis nasutior dicat, non esse quidem in terra visibiliter, sed bene inuisibiliter & tamen realiter, quid ille idem respondebit Hieronymo in Prouerbijs scribenti & dicenti. Christus non est corporaliter in ecclesia, surgens enim ascendit in cœlum. Rursus quid Augustino in Psalm. 46. Tollitur quidem (ait) corpus ab oculis vestris, sed non separatur à cordibus, videte ascendentem Christum, credite absentem, sperate venientem, & per misericordiam occultam sentite præsentem. Huic si iungas illud Origen. in Mattheũ tractatu. 33. quodnam obsecro habebit vir ille bonus subterfugium. Non est homo Christus (inquit) qui est vbicunque duo vel tres fuerint congretati, ne-

Quãdo de forma serui cogitas in Christo, humanam effigiem cogita, si est in te fides.

Impium est fingere Christum sine quantitate & tamen uere esse in sacramento.

que homo nobiscum est vsque ad consumationem seculi, neque congregatis vbique fidelibus homo est præsens, sed virtus diuina quæ est in Christo. Neque (addit) hæc dicentes Christum soluimus, sed vnicuique naturæ suam proprietatem seruamus. Nam nihil absurdum est ipsum Iesum secundum quendam modum esse vbique, secundum alium peregrinari à nobis. Hactenus Origenes & grauis & antiqu⁹ author egregie Vbiquitatis assertores reprehendens, idiomatumque communicationem seruans, in qua prædicatio vtriusque naturæ Christi fit de se mutuo in concreto non in abstracto, ita vt (teste Athanasio) communia personæ fiant, quæ naturarum sunt propria. Alioqui (ait Fulgentius contra Eutychem) impium & sacrilegũ est ea quæ sunt propria carnis Christi ad naturæ verbi proprietatem referre, & quæ sunt propria verbi, naturæ carnis Christi adscribere. Approbauit illius sententiam Augustinus epistola 57. Quisquis, inquit, affirmat quod corpus Christi simul & vno tempore est in cœlo & in terra, destruit naturam corporis Christi, hæc ille. Verũ quid his immoror? Ipsemet Christus prouidens huius doctrinæ impietatem de sua carne manducanda, murmurantibus Caparnaitis & cogitantibus, quomodo ipse esset carnem suam illis ad manducandum daturus respondit dicens. Hoc vos scandalizat, quia dixi, nisi carnem meam manducaueritis, nõ habebitis vitam in vobis: Si ergo videritis filium hominis ascendentem vbi erat prius? Quid est hoc inquit Augustinus? hinc soluit quod illos mouerat, hinc aperuit vnde fuerant scandalizati. Illi enim putabant eum erogaturum corpus suũ, ille autem dixit se ascensurum in cœlum vtique integrum dicendo. Cùm videritis filium hominis ascendentem vbi erat prius, certe vel tunc videbitis, quia nõ eo modo quo putatis erogat corpus suum, certè vel

Contra ubiquitatis assertores nota lector.

Quisquis dicit corpus Christi posse simul esse in duobus locis, destruit naturã corporis Christi.

Gratia corporis Christi datur nobis in sacramento non ipsum corpus.

tunc intelligetis, quòd gratia eius nõ consumitur morsibus. Nam verba quæ loquitur Dominus, spiritus & vita sunt. Quid est spiritus & vita, sunt nisi, spiritualiter intelligenda? Intellexisti igitur spiritualiter? spiritus & vita sunt. Intellexisti carnaliter, etiam sic spiritus & vita sunt, sed tibi non sunt, hæc Augustinus. Cuius mentem de mãducanda vera & naturali carne Christi, si vnquam velis intelligere, hinc poteris. Proinde hoc disces, nunquam nobis debere venire in mentem vt carnaliter siue literaliter accipiamus verba Christi quoties de manducanda sua carne nos admonet. Absit enim vt vnquam tantum tuæ cogitationis scelus admittas, vt putes literaliter verum esse, quod Christus dicit. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis. Aut alioqui panem Eucharistiæ naturale corpus suum esse, quod ore & dentibus tibi manducandum præbeat. Satis quippe percipis hoc quod vides & tangis non esse simile carni aut corpori liniamentis membrorum, (ait Epiphan. in Ancor.) quomodo ergo panem appellat corpus suum? respondet Epiphanius eodem loco sicuti paulo antè August. Est corpus eius, per gratiam nimirum. Siquidem (ut bene dicit Theodoretus sanctus ille Syri Episcopus Dialogo qui Immutabilis nuncupatur). Noluit Dominus nos hærere in substantia panis & uini, quæ nobis proponitur coram oculis, ut per mutationem nominum, fidem habeamus mutationi quæ fit per gratiam. Propterea dignatus est Christus hoc honore panem & vinum, vt ea vocarit corpus, & sanguinem suum, non quod mutauerit eorum substantias primarias, sed quod illis addiderit suam gratiam, hæc ille. Verùm quæ precor est illa gratia quam dominus addidit pani & vino? respondet Augustinus vt suprà, spiritus & vita, hoc est verbum viuificum & spiritus sanctus.

Panis Eucharistiæ est caro siue corpus Christi per gratiam.

Mutatur panis propter mutationem quæ fit per additam illi gratiam, substantia tamen reseruatur.

Non

Non igitur, amice lector, dat nobis Christus corpus illud suum viuificum, crucifixum olim, ore in Sacramento manducandum, sed spiritualem suam carnem & diuinam, impalpabilem & inuisibilem in visibili hoc suæ carnis nutrimento dat nobis mente potissimùm degustandam, suæ nimirùm diuinitatis substantiam, quæ vt vbique est per generalem præsentiam, ita non nisi per verbum & in nobis est per specialem habitationis gratiam, & potissimùm in hoc sacramento, cui certè, vt ait Augustinus, vtrobiq; debemus quoq; specialem latriæ cultum, externis verò illis rebus, in quibus sic habitat, sanctis scilic. hominibus, & sacramentis (ne quis in posterũ putet, ea sic contemni debere, vt hactenus factum est, proh dolor) specialem venerationem. Substantiam ergo diuinitatis accipimus in Sacramento, & cum hac licet similem, non tamen eandem numero (& nota) corporis sui visibilis substantiam. Vnde Ambrosius de Incarnatione Domini: Nam etsi credas (inquit) à Christo carnem esse susceptam, & offeras panem transfigurandum altaribus, nõ distinguas tamen naturam diuinitatis & corporis, & tibi dicitur, si rectè offeras, non autem rectè diuidas, peccasti, quiesce. Diuide quod meum est, diuide quod suum verbi est, ego quod erat illius non habebam, & ille quod meum est non habebat. Suscepit quod meum est (scil. carnem) vt impartiret quod suum est, scilicet diuinitatem. Hæc ille, & capis lector, intelligisque, quòd in Sacramento solam suam dat tibi diuinitatem, non animatam humanitatem siue carnem, vnde audi & ipsum Athanasium. Quomodo (inquit) fieri potest, vt totus mundus ederet de carne eius, quæ nõ sufficeret paucis hominibus: sed (ait) fecit Dominus mentionem suæ ascensionis, vt retraheret nos à corporalibus cogitationibus, & discerent homines in posterum, quòd vellet eos nutrire è cœlo & pascere spiritua-

liter carne sua, vt sciant omnes, carnem dictam cibum cœlestem supernè venientē & spiritualem alimoniam esse, quàm ipse det: hæc ille. Et audísne spirituale & impalpabile esse corpus quod nobis dat Christus in alimoniam spiritualem, in visibili licet suæ carnis sacramento contentam. Impalpabile igitur dico esse, quod nobis vel extra sacramentum, vel cum sacramento, sed fide erutum, & propter certum Dei verbum in panem illapsum, datur manducandum, & intrò in animam recipiendum realiter & verè, & audacter affirmo cum Chrysostomo, Sacramenta quidē esse visibilia & sensibilia, reliqua autem quæ sub specie panis accipimus & intelligibilia esse & insensibilia, quinimò & impalpabilia. Cæterùm si isthic corpus Christi subesset (vt volūt Pontificij) verum, & reale, aliquid profectò & palpabile & visibile adesset, probante id August. & dicente lib. De essen. diuinitatis. Sicut (ait) Dei filium & redemptorem nostrum secundum diuinitatem inuisibilē & incircumscriptum non credere, est impium, ita eundem Dei filium in homine assumptum, visibilem, corporeum, atq; localē non credere est prophanum. Cui cōsentit D. Hieronymus scribens ad Pammachium contra Ioan. Episcopum Hierosolymitanum, qui tribuebat animabus post resurrectionem corpus aerium, quod neq; tangi, neq; videri poterat. Vnde & idem Augustin. lib. 22. De Ciuit. Dei, opinor, Fides Christiana (inquit) non dubitat, quin post resurrectionem iam quidem in spirituali sua carne, sed tamen vera, cibum & potum Christus cum discipulis suis sumpserit, non enim potestas, sed egestas edendi talibus corporibus aufertur. hæc ille. Proinde tale corpus ore non comedunt fideles, sed spirituale quoddam vel fide suscipiunt è cœlo, vel fide & ore in sacramento, quod constat ex terrena (ait Irenæus) & spirituali substantia. De priore beatus Hieron. scribit in Comen. epist. ad Corin.

Christus secundum diuinitatē est inuisibilis et incorporeus, secundū humanitatē uerò uisibilis & corporeus.

Dupli-

Dupliciter (inquit) ſanguis Chriſti & caro intelligitur, vel ſpiritualis illa atque diuina, de qua ipſe dicit: Caro mea verè eſt cibus: vel caro, quæ crucifixa eſt, & ſanguis, qui militis effuſus eſt lancea. Hieronymo conſentit & ipſe Clemens Alexandrinus in Pœdag. ſuo dicens: Duplex eſt Chriſti ſanguis, alter carnalis, quo redempti ſumus, alter ſpiritualis, quo vncti ſumus, & per cõſequens (dico) quo nutriti ſumus. Et percipiſne, Lector, quòd Verbum Dei æternum ſiue S. Sanctus eſt idem qui nos regenerauit, & hodie in ſacramento nutrit? id quod ſatis liquet ex eo quod ſubijcit dictus Clemens. Quicquid, inquit, generauit, ei quod generatur, alimentum præbere eſt conſentaneum. Quemadmodum igitur regeneratio eſt ſpiritualis, ita & nutrimentum eſt ſpirituale. Hactenus Clemens: cuius inſequens veſtigia magnus ille Origenes, Clementis diſcipulus, ſuper illud Matth. Hoc eſt corpus meum: Panis, inquit, iſte, quem Dominus corpus ſuum eſſe fatetur, verbum eſt nutritorium animarum, verbũ de Deo verbo, & panis de pane cœleſti: neq; (vt ait in Leu.) hîc hæreas in ſanguine carnis, ſed diſce potius ſanguinem verbi. Id clarius exponit Hieron. in Ierem. Hom. 10. Chriſtianus, inquit, veſtitur agno Chriſto. Sciens enim carnem Verbi Dei verè cibum eſſe, veſtitur ea. Satis proinde hactenus docuimus, corpus Chriſti naturale non ſuſcipi ore à fidelibus in Sacramento, ſed ſpirituale illud & diuinum, de quo in Threnis capite quarto dicitur, Spiritus ante faciem noſtram Chriſtus dominus. Id exponens Ambr. de Sac. Corpus, inquit, Chriſti, corpus diuini eſt ſpiritus. Eſt proinde Verbum illud æternum, quod caro factum eſt, eſt Spiritus Sanctus, quæ in Sacramento nobis proponuntur, & à fidelibus in animam fidei ore admittuntur, quæ tamen mirabiliter vnita pani & vino, panem & vinum ſuo modo carnem & ſanguinem Chriſti

Duplex eſt corpus Chriſti.

Corpus Chriſti quod eſt in Sacramento, corpus eſt diuini ſpiritus.

efficiunt, ex quibus etiam alitur caro Christiani, inquit Tertullianus. Hæc (vt tandem finiam) testatur Theophilactus cum Chrysostomo super illud ad Corinth. Panis, quem frangimus, nónne communicatio corporis Christi est? Communicatio corporis Christi est, propterea dixit (inquit) quia quemadmodum corpus illud Christo vnitum est, sic per panem hunc Christo copulamur, &cæt. Quid velles apertius dici, quódnam corpus, precor, Christo vnitum est vt homini, nónne corpus diuini spiritus, vt diximus ex Ambrosio, nónne verbum Dei æternum, nónne ipsa Christi deitas, quę suo modo dicitur corpus? Porrò ne nouum putes, quod verbum Dei æternum vocetur suo modo corpus, licet non sit corporeum, quemadmodum & suo modo vocatur panis, caro aut sanguis, audi Origen. super Matt. Hom. 35. Omnipotens (inquit) est verbum Dei, & diuersis appellationibus nuncupatur, & innumerabilis est secundum multitudinem virtutum, cùm sit omnis virtus vnus & ipse. Proinde non mireris si ipse est panis & manducat nobiscum panem, ipse est potus de vite, & bibit nobiscum. Idem dicit scribens in Exodum Hom. septima. Non mireris (ait) quôd Verbum Dei caro dicitur: nam & panis, & lac, & olera, dicitur pro mensura credentium & possibilitate sumentium: hæc Origenes. Cui adde Cyprianum tract. de Cœna sic dicentem: Aliquando Dominus vocat hoc Sacramētum panem, propter alimenti congruentiam, aliquando carnem, propter naturæ humanæ, quam assumpsit, proprietatem, aliquando corpus, propter membrorum in vnum conuenientiam, aliquando sanguinem, propter viuificationis efficaciam, &c. Accipe & Epiphan. in Ancor. Ipsum (inquit) Verbum caro factum est, non mutatū eò quòd sit caro, nō transmutata deitate in humanam naturam, sed cum proprio suo corpore deitatis, & cum propria sub-

Deus suo quodam modo uocatur corpus, licet non sit corporeus.

ſubſtantia Dei verbi complexus vt ſit homo, &c. Animaduertis ergo illud (proprio corpore deitatis, vt cùm audies, Hoc eſt corpus meum, non ſtatim ſomnies brachia, pedes, caput, oſſa, & neruos, vt facit Concilium Tridentinum, ſed corpus diuini Verbi reipſa, carnem verò Chriſti, aut eius corpus, quod idem eſt) in intelligibili imagine ſuſcipias ſub panis ſpecie fideli & corde & ore, interea dum corpus Chriſti verum & glorioſum aſpicis fide in cœlo ad vitæ tuæ exemplum, illius ampliſſima in te beneficia ad fauces memoriæ veluti ruminans pecus, flebiliter & gratus reuocans. Hoc eſt igitur quod hactenus probamus, ſola fide naturale corpus Chriſti à nobis ſuſcipi, non ore, quod nec in terra ſit, nec in omni loco eſſe poſſit, ſi ſui corporis naturam ſeruat, circumſcriptum vtpote, & cui immortalitatem dedit Deus, naturam non abſtulit. Scio quid hîc reſpondeant Pontificij: Verum eſt (inquiunt) quòd dicis, Chriſtum non poſſe eſſe in duobus locis ſimul, eſt tamen tertius quidam modus, quo totus Chriſtus eſt in ſacramento, non in ſpecie, ſed per modum ſubſtantiæ, cui ratione concomitãtiæ adeſt anima & quantitas, vt aſſerit Thomas q. 76. Verum, neceſſe erit igitur ipſum mentiri Rupertum inſignem pontificium, cũ ſuis aſſeclis, qui prologo in Iohannem dicit: Chriſtus adeſt ſacramento in ea ſpecie qua pependit in cruce, & lanceatus eſt. Deinde cùm idem Thomas dicat eodem loco, quòd ſi Apoſtoli celebraſſent cœnam eo die quo Chriſtus adhuc erat in ſepulchro, Chriſtus fuiſſet in ſacramento ſine anima, & proinde mortuus, cur Biel ille in expoſitione Canonis miſſæ aliter intelligit per hęc ſequentia verba? Chriſtus (inquit) ante ſuam mortem dedit Apoſtolis corpus ſuum quale tunc habuit, ſcilicet mortale, poſt reſurrectionem dat quale habet, ſcilic. immortale. Vide nunc quomodo quis ſibi conciliabit hos patres, & quomodo

Chriſtus ſecundum Thomam eſt in Sacramento per modum ſubſtãtiæ non in propria ſpecie, interim cum ſua anima per concomitantiam.

Pontificij dicũt trib. modis datum fuiſſe Chriſtũ in eucharistia. Nam primò eum ui-





ferre poterunt Christiani, tantā dogmatis impietatem qua persuadentur Apostolos, Christū comedisse mortuum & viuum, sed adhuc mortalē & nunc immortalē. O dogma horrendum, propter quod non est mirum, si tota Asia, si tota Africa recessit à fide, & nunc persequitur infideles Europeos. Cæterùm audiamus Augustinum, qui præter duos modos præsentiæ Christi, quibus vel in cœlo est, vel in terra, nullum alium, ne per somnium quidem vnquam nouit, multo minus per miraculum in Sacramen. Dicit in Ioh. 90. Expositis, ait, hisce duobus modis præsentiæ Christi, qui nunc sua maiestate, prouidentia & gratia semper in mundo existit, cùm ante ascensum eius in cœlos præsens etiam carne adesset, in qua cùm consederit ad dextram Patris, nunc sanè in eadem carne absens est à mundo, arbitror nihil superesse dubitationis in hoc negotio. hæc Augustinus. Agè ergo, vbi est illa miraculosa præsentia Christi in Sacramento? Adde quòd si est miraculum, quòd panis transeat in Christum, & miraculi nō potest reddi ratio, quis fidelium tam demens aut arrogans esse potuit vnquam, qui operum secretiorum Dei aut miraculorum rationē aut inquirat, aut exposcat? At Augustinus non veretur dicere: Christus quo die voluit ascendit in cœlum, ibi & modo est, quomodo ergo est hic panis corpus eius? Et tamen non respondet, vt vos dicitis, est miraculosè, sed rationem reddēs audet dicere: Vnitas, pietas, veritas, charitas, corpus Christi. Si pietas igitur, si charitas est vera caro & tangibilis, habēs ossa & neruos, profectò panis est naturalis caro Christi, qui charitatem nobis & designat & offert. Si nō est, sed spirituale quid, verè dixit Christus, quòd verba, quæ loquitur, spiritus sunt & vita. Bene quoque & Hieronymus, quòd verba Christi dicentis, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis de spirituali Christi car-

[Margin:] uiuum et mortalem acceperūt in cœna, cùm esset in sepulchro, mortuū eum, & sine anima comederunt, nunc demùm gloriosū manducamus, aiunt.

[Margin:] Modi præsentiæ Christi August. cogniti duo tantùm.

[Margin:] Miraculorum Dei nō potest reddi ratio.

sti carne intelligenda sunt. Rursus & hoc paucis inferendum, si est miraculum, & miraculi (vti diximus) non potest reddi ratio, cur Cyprianus De Vnctione, Christus, ait, dedit panem discipulis, corpus verò suum crucifigendum Iudæis, vt Apostoli docerent populum, quomodo panis est corpus eius? Quocirca fœdè, vt opinor, vtinam non damnabiliter & impiè, hactenus docuistis ô Pontificij, Christum integrum cum neruis & ossibus manducari ore, dentibusque realiter atteri tam ab infidelibus quàm fidelibus, contra claram & Scripturæ & veterum Patrum doctrinam. Cuius rei esto testis & fidelis & antiquissimus, tum & in hac re irrefragabilis Origenes, qui in Matthæum scribens Homelia decimaquinta, vbi apertam ponit differentiam symbolici & typici corporis Christi, quod est Eucharistia, & veri, naturalis, siue gloriosi, quod est in cœlo, sic habet. Panis Domini, iuxta id quod habet materiale in ventrem abit, & per secessum eijcitur, nec per se prodest sumenti, sed super illum dictus sermo est, qui vnicuique est vtilis iuxta portionem fidei: quæ quidem dicta sint de typico & symbolico corpore. Multa porrò & de ipso Verbo dici possent, quod factum est caro verusque cibus, quem qui comederit, omnino viuet in æternum: quem nullus malus (nota) potest edere. hæc Origenes. Et quomodo, obsecro, nunc stabit vestrum dogma, quo totum Christum vel etiam pessimos dicitis comedere in Sacramento? & profectò comederent, si eucharistia esset Christus. Quocirca magna cum laude asseruerunt hactenus aliquot euangelici, D. Zuuinglius, Oecolāpadius, Caluinus, Beza, Dathenus noster, Petrus Martyr, Christum, in quantum homo est, nō nisi fide & spiritualiter, aut (si mauis) spirituali contēplatione passionis eius manducari. Vnū illis videtur deesse, ꝙ modum manducandi non adeò studiosè explicarunt.

Mali non comedunt corpus naturale Christi.

Eucharistia est corpus Christi symbolicū siue typicum, uel secundum quid, non verum.

Christus totus homo et Deus non comeditur à malis et infidelibus in Sacramēto, quia ibi non est, sed in cœlo.

At nos pro modulo facultatis nobis à Deo concessæ, adeò firmiter rationem manducandæ naturalis carnis Christi sola fide & spiritualiter tantùm fieri asseremus, & eius rei modũ ita lucidè exponemus, vt amplius non sit futurus (ni fallor) contradictioni locus. Quòd si igitur quis, mei consilij ignarus, quærat, cur alienis vestigijs insistens actum agàm: Respondeo. Frustra equidem & id attemptaturum fuisse, nisi simul id quod Neotericis illis Euangelicis defuerat, subsidio veterũ Patrum & doctorum resarcire pro spe reconciliationis admitterer. Nam sicuti nemo non multis efferat encomijs illorum & diligentiam & industriam, qua aliquot Pontificiorum (non enim omnes ita senserunt) impium dogma subuerterunt, ita nemo est, qui non dolere debeat, illis tam paruæ curæ fuisse, vt quemadmodum spiritualis, etiam sacramentalis manducationis & dignitatem patefacerent, & rei veritatem digna veneratione celebrarent. Cùm enim nõnulli ex ijs videantur Sacramenta pro nudis signis habere, nec vllam rem spiritualem, vim, aut energiam cum signo realiter coniungere simul & ineffabiliter, & sic diuinam institutionem minuere, verendum est (si animo hoc peruerso & ambitioso fiat) ne parem condemnationem subeant cum illis, qui verbo Domini addunt, & tam rei sint, qui nullam Domini carnem, aut (vt melius) nullam carnis eius substantiam in Sacramento manducari aut negant, aut dissimulant, quàm qui simpliciter ipsam, quæ in cœlo est, dentibus atteri defendunt. Est quidem posterior hæc opinio nefandissima, fateor, & intoleranda, prior tamen non est dissimulanda, nisi dominum nostrum Iesum Christum, qui se ad infantiam nostram accommodat, contemnere velimus, qui in sensibilibus dignatur nobis dare insensibilia & inuisibilia, qa sumus corporei, inquit Chrysostomus: vnde etiam factum est, vt inter Mart. Lutherum,

Euangelici aliquot non satis honorificè de Eucharistia senserunt.

Tam peccant, qui uerbo Domini demunt quàm qui addunt.

rum & Philippum Melanchthonem, nunquam satis laudatæ & pietatis & eruditionis viros, tum inter ipsum D. Zuinglium & OEcolampadium, Caluinumq; nulla potuerit hactenus inueniri sarciendæ concordiæ ratio. Lutherus enim examinata veterum Patrum doctrina facile collegit aliquid reale esse cum pane post consecrationem quam vocant, aliquid inquam carnis dominicæ quo aleretur caro Christiani, vt interim anima de Deo satiaretur, teste Tertulliano. Verùm quoniam eam carnem ipsissimum corpus, esse voluit aut voluisse creditus est, quod Christus habet in cœlo cum Pontificijs, & (vt paucis dicam) Christum ipsum realíter esse cum pane & manducari ore, non mirum est si ei restiterunt & fortiter & laudabiliter tum Zuinglius tum Oecolampadius. Contra: cum ipse Zuinglius videretur Luthero & suis omnia trahere ad spiritualem manducationem, nihilque reliqui facere in Sacramēto, quo reuera aleretur præter communem vsum caro Christiani, factum est vt pari obstinatia nec minus laudabili cum conatu illis contradixerit. Interim hac dissensione adhuc in hodiernum diem perdurante, & religio penè abijt pessum (proch dolor) & reuerentia circa Sacramēta penitus intercidit, & eorundem suscipiendorum feruens & quotidianum desiderium penè est collapsum. Proinde vt concordiæ aliquam viam inueniamus, neq; tamen aut ad sinistram aut ad dexteram veræ doctrinæ viam declinemus spiritu Dei nos per gratiam adiuuante: Dicimus ipsum Zuinglium simul & Oecolampadium, aliosque Christi manducationem spiritualem bene asseruisse, & magna cum laude cum Athanasio pronunciasse, corpus Christi nos spiritualiter nutrire è cœlo, quoties vera fide erecti in cœlum, Iesum Christum & fatemur & aspicimus pro peccatis nostris (quibus tamen mori statuimus) quondam natum, mortuū

Ratio discordiæ inter Lutherum & Zuinglium.

Discordia de Sacramento sustulit reuerentiam & deuotionem circa sacramenta.

tandē & crucifixum. Cuius resurrectionis beneficio tum omnium bonorum eius simus participes, tum spiritualis carnis & sanguinis ipsius occulta & potenti opera spiritus sancti consortes. Et hæc est pulcherrima illa de qua diximus ex Cyrillo dispensatio carnis Christi, & sanguinis potatio spiritualis, quam si fuissent edocti Caparnaitæ, non ita temere ad Domini verba exhorruissent. Eam quoque si & nos hodie reciperemus, nihil horrendi, nihil impij aut doceremus, aut committeremus manducando, tantum sub assueta recordatione passionis Christi, spiritualiter totus Christus manducaretur, & illius caro veluti in partes comminuta aut distracta in viscera cordis traijceretur. Vnde exurgeret in anima mirus charitatis sapor, mirabile amoris delectamentum. Nam (vt monet D. Dionysius in sua eccle. Hierarch.) si cupimus habere communionem cum Deo, oportet nos in diuinissimam illius vitam quam egit in carne intueri. Alioqui, vt inquit Augustinus lib. de irremissibili peccato in spiritum sanctum: Non quocunque modo quisquis manducauerit carnem Christi manet in eo, sed profecto est quidam modus manducandi illam carnem, quo modo qui mā ducauerit, manet in Christo & Christus in eo. Audis iam christiane lector quod non simul ac quis visibile sacramentum sumit, statim etiam sibi Christum incorporat? Videamus ergo an modum eum possimus inuenire adiuuante Deo, quo Christianus ore admouens sacramentum, etiam sibi adiungat Christum, & participationem habeat cum Deo. Audiamus proinde Leonē illum primum verè magnum sic dicentem sermone 16. de passione Christi. Ab omnipotente medico nostro (inquit) duplex nobis miseris remedium præparatum est, cuius aliud est in sacramēto, aliud in exemplo, hæc ille. Vis huius dicti scire mysterium? Diximus antea quod sacramen-

Per commemorationem uitæ Christi transimus in communionem Dei.

Est certus quidā modus mā ducandi Christum.

Duplex nobis in Eucharistia proponitur caro siue corpus unū in uerbo, alterū in oculo hoc ad nutritionem corporis & animæ, illud ad æmulationem.

sacramentum vocetur corpus Christi, idque non sine ratione. Nam licet naturale corpus Christi ibi non sit localiter aut corporaliter cum sua anima, sed nomine tantum, virtute, & imagine (vti postea dicemus) ab ea tamen veluti à typo ad veritatẽ scilicet, ad corporis quod in cœlo est contemplationem inducimur (si cœlestium aliquod nobis superest desiderium) vt postmodũ eius quod est in sacramẽto possessionem inducamur, & quomodo dices? Nimirum cùm ruminat homo occultis prius spiritus sancti stimulis excitatus, causam passionis Christi, quæ illi proponitur in panis & vini, quæ super altare posita sunt nõ visibili sed intelligibili imagine, & videt fuisse peccatum ob quod totus mundus æternis tormentis erat adiudicatus, deinde considerat se toties peccasse, horret statim, & sempiterni ignis qui merito sibi debetur, recordatione consternitur. Et hoc est agno paschali amaras dum comeditur miscere pœnitentiæ cichoreas. At vlterius pergens, cum finem intuetur ob quem filius Dei passus est tam acerba in corpore quod sibi sumpsit de Maria Virgine, & intelligit totum fuisse factum à benignissimo filio Dei, vt miser homo (alioqui) quem condiderat, sublato damnationis chirographo in pristinæ dignitatis salutisque conditionem reuocaretur, tacito quodam igne amoris incenditur, quod est assare agnum paschalem & eum non comedere crudum. Inde fertur impatienti quodam desiderio semel videndi illius vnici Dei sui, qui tanti beneficij extitit origo & author, quod est trepidanter comedere vt præcipit uetus lex. Propterea fide assurgens in cœlum (quod est baculum tenere in manu) & intuens benefactoris sui speciosam illam tam animæ quam corporis naturam, non aliter quam quidam Apelles in sua mente omnem illius delineationem imprimit, quo fit ut mirabili spiritualisque contempla-

Istud in cœlo est, illud in sacramento, hoc ore sumitur, illud sola fide comeditur.

Ratio manducandæ carnis Christi spiritualiter: quam nota bene amice lector.

Quid sit Agno paschali miscere, dum comeditur, amaras cichoreas.

Quid sit assare agnum & eũ non comedere crudum.

tionis artificio ipſe totus ſenſim exuto ſeipſo in eum transmuter. Nam (exempli gratia) dum in venerabili illo capite notat oculos ab omni vanitate auerſos, ad Patrem vero æternum ſemper conuerſos & intentos,ſuos vero quos habet ad vana,terreſtria, turpiaque ſemper demiſſos,hos ſibi expungit, illos amoris penicillo reponit. Videt & illius linguam, totum os, omnem ſenſuum externorum familiam,& admiratur continentiam,abſtinentiam,ſobrietatem,modeſtiam,caſtitatem tum pulcherrimam omnium actionum œconomiam. Contra:deſpiciens propriæ linguæ garrulitatem, gulæ incontinentiam & turpitudinem:deinde ſenſuum reliquorum proteruiam hæc omnia detruncat, & ad propoſiti exemplaris ſimilitudinem noua ſibi deliniat. Deſcendit ad manus & pedes Domini Ieſu Chriſti, quarũ illas ad liberalitatem,ad ferendam omnibus opem perpetuo protenſas agnoſcit,ſuas plenas rapina & ſanguine. Iſtos ad omne virtutis iter apparatos & occallentes ſuos ad omnia vitia propenſiſſimos deflet: proinde talibus & pedibus & manibus abiectis, nouas ſibi affectat reſtitui. Simili modo in penitiora propoſiti corporis vi contemplationis raptus intuetur benedictæ animæ Chriſti mirabiles proprietates,inſignia dona,ordinatos affectus,cogitationes diuinas,amorem in Deum incomprehenſibilem, gloriam immenſam, omnem denique plenitudinem diuinitatis corporaliter in ea habitantis incredibili animi iocunditate ſuſpiciens, ſeipſum verò veluti mortuum,fœdum ac putridum corpus contemnens,ſui innouationem deſiderat. Ex quo fit, ut dum ueluti ab Eliſeo ſuæ manui manus ſupponitur Chriſti, pectus pectori,os ori, noua reſumpta vita noui & cœleſtis hominis imaginem induat,veterem exuat. Hic proinde eſt commemoratæ paſſionis fructus, hic epularũ cœleſtium guſtus,ſic comeditur caro Chriſti, ſed ſpiritu non

Transmutatio hominis in naturam diuinã artificioſa operante inuiſibiliter ſpiritu ſancto.

Fructus ex pia cõmemoratione paſsionis Chriſti, quis.

tu non ore, mente non dente: sic quoque anima viuificatur ab anima Christi, fide tamen ingesto poculo charitatis, non ore absorpto poculo ebrietatis. Sic transmutamur in eum, dum in eius naturam & proprietates cõuertimur. Propterea ergo proponitur nobis panis Eucharistiæ qui vocatur (& nomine tantum est verum corpus Christi, quia signo interdum datur nomẽ rei signatæ, vt ait August. Cyprianus & Rupertus in prologum Ioannis) vt à visibilibus sursum ad cœlestia conscendamus facti aquilæ, vt ibi nimirum sit in spiritu anima, vbi cadauer Iesus Christus. Quo conspecto, videamus & intelligamus quid longitudo, quid latitudo, quid profundum huius ligni in quo olim pependit, huius suæ in nos charitatis, huius suæ pro nobis mortis & passionis mysterium significet. Vnde in posterum non noceat nobis coluber solitudinis, sed per omnia sequentes Iesum & imitantes (nam hoc est eum comedere) cũ ipso baptizemur morientes peccato, cum ipso paruuli simus, in humilitate & simplicitate cordis viuentes, cũ ipso ieiunemus intra sobrietatis limites conclusi & eleemosynis incumbentes, cum ipso lotis pedibus panem Angelorum edamus beneficiorum memores & orantes, cum ipso mundo crucifixi viuamus, & cum ipso denique spiritu sancto repleti in æternum maneamus.

Comedere Christum est ei credere & imitari.

Verum dicet mihi hîc aliquis, nónne accipimus multoties in anno panem Eucharistiæ, & tamẽ neque hunc concipimus gustum, neque tale consequimur emolumentum? fieri potest. At quemadmodum in cibo externo vt transglutitus & in stomachum demissus proficiat, requiritur calor qui eum digerat, non igneus ille febrilis, sed ex parte cœlestis, qui à medicis primigenius siue radicalis appellatur. Ita hic cibus apprehensus in verbo, fide debet demitti in animam, amore digeri, desiderio manducari, & vt ait Tertullianus de Resur. car.

Calor primigenius cibum digerit non febrilis.

Auditu deuorandus eſt, intellectu ruminandus, & fide digerendus. Alioqui plurimi erunt qui confitebuntur ore filium Dei eſſe Chriſtum natum olim, & paſſum, externo quoque apparatu ſument Euchariſtiam ſignum, & geſticulationibus adorabunt ſignatum, ſed quia forſitan latet intus aliquis humor corruptus, qui coram ſpeculo & exemplari quod Chriſtus eſt non fuit antè detectus, & proinde expurgatus, quia inquam latet peccatum quod virtutis impedit aduentum, quia deeſt vera fides quæ concoquat, fit vt talis in ſua fœda imagine perſeueret, & tandem ob macilentiam factus hecticus, & inops cœleſtis roris & ſpiritus ad mortem tendat. De his loquitur Propheta dicens, Manducauerunt & adorauerunt omnes diuites terræ, ſed non ſunt ſaturati. Et quare, inquit Auguſtinus? Quia non eſurierunt & ſitierunt iuſticiam, hoc eſt (vt opinor) non ideo manducauerunt paſſionis Chriſti memoriam, non eam ſibi propoſuerunt ob oculos eo fine, vt ſeipſos veluti ad lapidem Lydium probarent, vt vitæ ſuæ enormitatem, morum fœditatem, ad perfectæ vitæ & virtutum exemplar conferentes, ſui faſtidio ducerentur, amore propoſitæ excellentiæ traherentur & tracti aſſimilarentur, & ſic tandem ſatiarentur. Intelligis igitur & percipis, amice lector, quomodo in pane lateat gratia corporis Chriſti, lateat eius natura, dotes, & virtutes, & quomodo illa erui poſſint, hoc eſt manducari, extenta ſcilicet fide & amore cordis ſurſum ad ſignata priuſquam manu viſibili & carnali ad ſigna. Verùm ſi nec tibi ſatis eſt coniungi Chriſto in virtutibus, in natura aut dotibus, ſed vis quoque ſubſtantiam corporis ipſius tibi impartiri, en eam habes in Sacramento viſibili, habes & eam in teipſo. Verus namque venerator paſſionis Chriſti (inquit Leo. l. 13. ſerm. de paſſi. Chriſti) ſic crucifixum

Qui ſunt qui ex eſu ſacramẽti nullum reportant fructum.

Caro noſtra cum carne Chriſti unius eſt generis.

cifixum Iesum oculis cordis aspiciat, vt illius carnem suam esse cognoscat. Audin? caro Christi, quam non vides oculis sed fide in cœlo, tua est caro quam gestas in terra, de qua sic Augustinus: Vbi (inquit) caro mea glorificatur, ibi gloriosum me esse cognosco, vbi sanguis meus dominatur, ibi dominari me confido. De hac carne loquebatur & Christus cùm ad Paulum exclamaret. Saule Saule quid me persequeris? pauperum Christianorum carnem, suam appellans. De ea quoque loquitur cùm ait (inquit Chrysosto.) in carcere fui & visitastis me, esuriui & dedistis mihi potum. De ea similiter intelligit, cùm dixit in vltima cæna: Accipite & manducate, hæc est caro mea siue corpus meum (nam idem est teste Cypriano) carnem nimirum panis suam appellans. De qua quoque verè dicebat Chrysostomus in hom. ad populum Antiochenum. Christus (inquit) carnem suam nobis in mysterio Sacramentis inuolutam reliquit. Nam vt Elias in curru ignito ad cœlos euectus vestem Eliseo: sic Christus ascendens carnem suam secum duxit, ac simul carnem suam retro post se reliquit: hæc Chrysostomus. Ex quo intelligis duas carnes Christi non numero sed natura & specie easdem & sibi similes (vti dicemus) quarum altera quæ est illi naturalis & è Maria Virgine sumpta in cœlum gloriosa ascendit, altera quæ est in sacramento virtute & potentia, facta ex pane & vino in alimoniam corporis Christi mystici, hoc est omnium fidelium quotidie sumpta transit, à qua fideles corpus Christi dicuntur. Si igitur vis carnis Christi verum experiri gustum & tibi non sufficit Sacramentum, tuum arripe & deuora brachium. Nam non aliter differt caro Sacramenti à tua carne (modo verè fidelis sis) quàm quòd tua est in actu, illa in po-

Christus reliquit nobis suã carnem in mysterio sacramẽtis inuolutam.

Non differt intelligibilis caro Sacramenti à nostra uisibili carne nisi quod nostra est in actu, illa in potentia.

tentia, vtraque per gratiam. Hinc est quod aliàs dicebat Augustinus. Quod heri accepimus fratres, hoc sumus nos. Vis hoc tibi exponam? In pane est caro potentia similis illi specie, quam ipse gestas in corpore, ergo sumens panem, sumis tuam carnem. Iam cum in panem sese infuderit verbum viuificum & spiritus sanctus, sacramentum autem hoc sit apparatum ijs qui spiritum sanctum habent & fideles sunt, denique & per baptismum regenerati, sequitur quod fideles, qui in charitate, vnitate, veritate perseuerant, hinc accipiunt nutrimentum pietatis, veritatis, charitatis, vnitatis, quæ sunt (teste Augustino) ipsum corpus Christi spirituale. Ista igitur sunt quæ vidētur omisisse neoterici aliquot euangelici D. Zuinglius, Caluinus & alij. Omiserunt inquam docere populum (quod seueriter vult fieri Cyprianus) quomodo panis fiat caro Christi ex qua alitur caro christiani. Nam in eius rei cognitione totum pendet mysterium & dignitas sacramenti. At D. Zuinglium facile excusabit opinor diuus Cyrillus qui in Ioan. scribens lib. 2. cap. 47. sic ait. Attendamus obsecro nos qui docendi potestatē accepimus, melius esse vt simpliciter fidem, quam profundiori ratione diligentius expositam Neophytis tradamus. Nam & lacte Paulus nutrit &c. Ex hoc colligis lector, non apud omnes fidei mysteria esse promulganda. Proinde satisfecit D. Zuinglius rudi suo tempori, & populo iamdudū in idololatria submerso, docendo quod Eucharistia non esset Christus, nisi forsitan, eo modo quo petra erat Christus, de qua dicit Augustinus, Petra erat Iudæis Christus, nobis Christus quod super altare ponitur. Iam autem cùm populus christianus magnos fecerit in fidei cognitione progressus, aliqua opera succedentium euangelicorum, sine periculo docere & possumus, & debemus, quomodo Euchari-

Excusatur Zuinglius & Caluinus.

stia.

stia sit caro Christi. Audiamus igitur Gregorium Nyssenum, sanctum illum Episcopum, cum omnibus Patribus de hac re differentem, & pulcherrimo modo explicantem, quomodo panis sit caro Christi. Dicit igitur sic in Catechesi: Quemadmodum qui per insidias venenum hauserunt, alio medicamento vim illius exitialem extinguunt, ita nobis faciendũ est, vt cùm venenum quo natura nostra dissoluitur, gustauerimus, medicamentum, quo illa restituatur, suscipiamus. Quódnam autem est hoc medicamen, nisi corpus Christi? Vt enim parum fermenti totã massam sibi assimilat, sic & Christi corpus in nostrum corpus ingrediens, totum in se transfert atq; commutat. In corpus autem ingredi non potest, nisi per cibum & potum visceribus immisceatur. Itaque necessarium est, vt natura nostra, quoad eius fieri potest, vim salutarẽ intra corpus admittat. Cùm autem nullum aliud nisi diuinum illud corpus eam gratiam susceperit, & nostra corpora non possunt consequi immortalitatẽ, nisi cùm immortali iungantur: considerandum est, quomodo fieri possit, vt vnũ illud corpus distribuatur per totum orbem. Hactenus Nyssenus, in quo nota, amice lector, quòd rationem reddere vult, quomodo corpus Christi, quod in cœlo est, possit distribui in tot milia hominum per orbem, tantum abest vt abhorreat ab illo (quomodo) ad quod nos cogere volunt Põtificij. Pergit ergo Nyssenus, & dicit: Omne corpus ex nutrimento consistit & confirmatur. Nutrimentum autem familiare est panis & vinum, quæ potentia sunt caro & sanguis. Porrò Dei verbum ita naturæ humanæ coniunctum est, & corpus nostrum assumpsit, vt eius naturæ non aliam nouam constitutionem adhiberet, sed solitis ipsum rebus aleret & sustentaret, nempe cibo & potu. Cibus verò Christi erat panis vt noster. Sicuti igitur qui panem videt quodammodo vi-

Quomodo eucharistia sit et fiat caro Christi.

Hanc Catechesin Cyrilli Ioachimus Camerarius pollicitus est, se è Græco in Latinum translatam editurum.

Panis & uinũ sunt potentia caro et sanguis.

det corpus humanum, quoniam panis corpus euadit manducatus. Ita diuinum corpus Christi panis nutrimentum accipiens, idem quodammodo erat cum illo cibo in eius corporis naturam immutato. Corpus autem Christi propterea quòd Deus verbum in illo habitauit, diuinam obtinuit dignitatem. Quamobrem etiam nunc Dei verbo sanctificatum panem altaris in Dei verbi corpus credimus immutari. Itaque qua ex causa panis in corpus Domini mutatus in diuinam naturam transijt, eadem de causa nunc etiam fit. Nam sicuti gratia verbi æterni sanctum efficit corpus Christi, cuius firmamentum ex pane constabat, & ipsum quodammodo panis erat, sic hic panis altaris per verbum Dei & orationē (inquit Apost.) sanctificatur, non quia comeditur eo progrediēs, vt verbi caro euadat, sed statim ꝑ verbū in corpus mutatur à verbo, Hoc est corpus meū. Proinde Deus, qui se patefecit nobis, idcircò naturæ mortali seipsum coniunxit, vt eam diuinā redderet. Idcirco cunctis credentib. seipsum impertit per carnē, quę ex pane & vino constituitur, fideliumq́; corpor. cōiungitur, vt ea cōiunctione cū immortali, homo etiā immortalitatis particeps fiat. Hæc autē tribuit virtute mysticæ benedictionis in illud rerū, quæ videntur, naturā mutans. hactenus Nyssen. Ex quo sacramentalis manducationis dignitatem, simul & visibilis sacramenti prærogatiuam percipere potes, in qua fideles omnes & corde & ore corpus verbi realiter suscipiunt pane in sua substantia manente licet spiritualiter, & proinde ineffabiliter (inquit Bertramus & alij) in illud immutato. Vult igitur paucis dicere Nyssenus, quod infundente se diuinitate & verbo æterno in panem qui potentia caro est, panis fit caro siue corpus verbi. Tale quid asserit & ipse Cyprianus tractatu de Cœna his verbis. Quemadmodum (inquit) in Christo latebat diuinitas, apparebat humanitas,

Corpus siue caro Christi idē erat quodammodo cum pane quo alebatur.

Dei uerbo æterno sanctificatus panis altaris in Dei uerbi carnem immutatur.

Christi caro quodammodo panis erat.

Christus se nobis per carnem impertit, quæ ex pane consti tuitur, non ergo per illā, quā sumpsit de uirgine, & nota.

Panis substantia manet, licet spiritualiter mutetur in corpus uerbi, & nota.

nitas, ita visibilibus sacramentis ineffabiliter diuina sese infudit essentia, vt esset religioni circa sacramenta deuotio,&cæt. Nota, Lector, Cyprianum, & in eius dicto (ineffabiliter illud) vt scias, sacramenta non esse nuda signa, aut illis diuinitatem adesse vulgari modo, sed ineffabili. Quocirca etsi certum est, fidelem omnem ali verbo viuifico, & proinde spirituali carne Christi etiam extra communionem, quotiescunque fideli oratione sibi tale alimentum à patre Deo propter Christum deposcit. Vt tamen Deus imbecillitati fidei nostræ sese accommodaret, & conuentus fidelium stabiliret, haberemusque visibile nostræ resurrectionis symbolum, in visibili suæ carnis nutrimento stabilitum, denique vt certo sui contactu nos foris & intus sanctificaret, voluit quoque, & in sacramentalem panem ineffabili modo infundi, vt tibi corporeo in corporalibus quoque sese misericorditer insinuaret. Proinde quicunque hanc ineffabilem diuinæ maiestatis præsentiam (nam aliàs etiam suo modo vbiq; est) in sacramento non docent & annunciant, qua fit, vt panis, qui potentia caro est, in carnis Christi virtutem & naturam transeat, minuit sacramenti dignitatem, inde & circa sacramenta deuotionem, & per consequens resistere videtur Christo præcipienti & dicenti, Accipite & manducate. Redeamus ad propositum. Ipsa est ergo diuinitas siue verbum viuificum, quod se infundit in panem, manente in cœlo Christo, sic tamen vt illa diuinitatis præsentia cum pane, panem efficiat carnem Christi in potentia, ex qua alitur caro Christiani. Vnde Iustinus in sua Apologia. Hic cibus, inquit, apud nos Eucharistia dicitur, quam non vt communem panem aut cibum accipimus, sed quemadmodum per Dei verbum factus homo Iesus Christus carnem & sanguinem pro nostra salute habuit, sic etiam cibum, qui per preces

Diuina maiestas adest sacramento Eucharistiæ ineffabili modo.

Cur Deus sese nobis coniungit per panem & uinum.

Qui sunt, qui minuunt sacramenti dignitatem.

sermonis,quem ab eo accepimus, & ex quo carnes nostræ commutatione aluntur,consecratus est,Iesu Christi,qui homo factus est,carnem & sanguinem esse accepimus. Idem sentit & Irenęus, grauissimæ authoritatis vir. Quomodo ,inquit, negant carnem nostram capacem esse donationis Dei, qui est vita æterna, quæ carne & sanguine Christi nutritur? Quando ergo mixtus calix & fractus panis percipit inuocationem Dei, fit eucharistia carnis & sanguinis Domini,ex quibus consistit atque augetur carnis nostræ substantia. hæc Iren. Sed nota bene,amice lector,ex his irrefragabilibus veritatis testibus certò constare,carne Christi (quæ est in Eucharistia) carnes nostras vera nutritione ali. Somniāt ergo (ne quid durius dicam) qui in cœna Domini solam alimoniam spiritualem affectant, & sacramentalem siue carnalem vel ignorant vel respuunt. Qui contra Cyrilli doctrinam Euangelio consonam nos vniri tantū Christo per spiritum & non per carnem affirmant. Rursus nota, quòd si Sacramentum esset ipsissimus Christus, (vt volunt Lyndanus, Hosius, & alij Pontificij) oporteret,quòd Christus nutritione vera facesseret in substantiam nostri corporis, & quòd ex eo reuera nutriremur: id quod quàm sit absurdum,nedum abominandum, dicemus mox. Percipis interim, Lector, quòd panis & vinum altaris transeant in virtutem carnis & sanguinis Christi,virtute ineffabilis præsentiæ diuinæ, aut (quod idem est) ratione mysticæ benedictionis, vt vult Nyssenus,& Nysseno consentiens ipse Cyrillus. Quibus accedentem audi Damascenum libro quarto Orthodox. fidei. Quemadmodum in Baptismo,inquit,mos est hominibus vt aqua & oleo vngantur,aquæ & oleo Spiritus sancti gratiā coniunxit,& effecit, vt esset lauacrum regenerationis:ita quoniam hominibus mos est, vt panem edant & vinum bibant, his diuinitatem suam adiunxit,

Carne Christi, quæ est in Sacramento, uerè alitur caro nostra.

Nō solùm per Spiritum, sed etiam per carnem reuera unimur Christo.

iunxit, eaque fecit carnem & sanguinem suum. Non quòd corpus illud Christi assumptum è cœlo descendat, sed quia panis & vinum in carnem Christi mutantur. Hæc Damascenus, cuius diligenter notanda sunt singula verba, sub quibus latent totidem mysteria, præsertim quia hîc Damascenus pro Pontificijs facere dictus est in hac re. Dicit igitur: Quoniam mos est hominibus, vt pane & vino vescantur, his diuinitatem suam adiunxit (Cyrillus vocat mysticam benedictionem. Origenes Verbum de Deo verbo. Theod. Diuinā gratiam, & Imaginem Dei Epiphanius. Augustinus Gratiam, quę non consumitur morsibus. Ambrosius Corpus diuini spiritus. Nyssenus Verbū Dei. Cyrillus aliàs Vim vitæ) eaq; fecit carnem & sanguinem suum. Nota igitur, ait verbis expressis, His suam diuinitatem coniunxit, non autem dixit, hęc euanuerunt, & Christus successit in locum, vt scias quàm vana sit Pontificiorū transsubstantiatio. Vidit hanc valere cōsequentiam Thomas de Aquino quæst. 74 & sic ipsemet argumentatur. Si cōiunxit diuinitatem suam pani & vino Christus, cùm coniugatio sit rerum actu existentiū, ergo panis & vinum manent? Pręterea inter Ecclesiæ sacramēta debet esse conformitas, sed in alijs sacramentis (vt in Baptismo) substantia manet, ergo & in hoc sacramēto. Cæterùm audi, Lector, egregiam ipsius responsionē & iudica, vtri Patres sequātur Pontificij ne, an aliquot saniores Euangelici Ad primū dicitur (inquit) quòd Deus coniunxit pani & vino suam diuinitatem, hoc est diuinam virtutem, non vt remaneat panis & vinum, sed vt faciat inde corpus & sanguinem suum. En Seraphicam, sed absurdam sententiā, si de corpore Christi animato intelligit, quod in cœlo est. Solus igitur Thomas hîc verax est, & nouit consilium Domini, quia (ait) cōiunxit pani & vino suam diuinitatem, non vt remaneat panis, sed vt mutetur in

Corpus Christi tempore cœnæ non descendit in panem.

Varia appellatio corporis Christi, quod in Sacram. est.

Transsubstantiatio Pontificiorum merum figmentum.

carnem Domini,siue in Christum. Mentitur ergo Ambrosius,qui ait lib.1.de Sac. Mira est potentia Dei,qui facit vt panis maneat id quod est,& tamen mutetur in aliud. Mentitur Origenes,qui in Matt. Panis, inquit, Domini in ventrem abit,& per ventrem recedit(& iterum) Substantia panis Domini non prodest, sed super eũ dictus sermo. Mentitur Theod. Cyri Epis. ille, qui Nõ mutauit(ait)Dominus panis & vini substantias, sed illis addidit suam gratiam. Mentitur Gelas. Pontifex,qui dicit aduersus Eutychem. Sacramenta Domini sunt res diuina,substãtia tamẽ panis in ijs minimè esse desinit. Mentitur August. contra Faustum dicens. Quanta dementia in eis,qui putant mutationẽ fieri in sacramentis (cõparat nostra cũ veterib.) demũ quòd aliqua sit diuersitas in rebus ipsis. Mentitur Iren. Eucharistiã dicens constare ex duab. rebus, terrestri & cœlesti. Deniq; mentitur Cyril. qui in sua Catec. Non est,inquit,nudus panis aut vinum,sed cum eo diuinitas. Iudicet ex his pius Lector, an nouitas Põtificiorũ debeat cedere vetustati tot sanctiss. Patrum. Verùm quoniã de hac re plura postea dicemus,vbi docebimus,quòd licet aliqua mutatio fiat in pane,non tamẽ talis qualẽ somniant Pontificij, redeamus ad Damascenũ,qui pergit dicere, Nõ quòd corpus illud Christi assumptũ è cœlo descẽdat, sed quòd panis in carnem Christi mutetur. Hoc dicto satis reprehendit Damasc. illorũ vanitatem,qui vbiquitatẽ corporis Christi ex somnijs suis stabiliunt. Cõfirmet te, lector, his verbis August. scribẽs Consent. epist.146. Ego,inquit,domini corpus ita in cœlo esse credo,vt erat in terra quando ascendit in cœlũ. Fides igitur adsit, & nulla quæstio remanebit. Valet enim diuina potẽtia de ista visibili atq; tractabili natura corporũ quibusdam manentib. auferre quas voluerit qualitates, & per hoc membra mortalia formæ liniamẽtis manentib. corruptione verò qualita-

Substantia sacramentorum non mutatur formaliter.

Tempore cœnæ Christi corpus nõ descendit in panem.

Fides Augustini de præsẽtia in cœlo, quæ omnium Christianorum esse debet.

litatis emortua,stabili vigore firmare,vt absit labes, adsit effigies,adsit vescendi potestas,absit esuriendi necessitas,&c. Quid hîc respondebunt Vbiquistę aut Pontificij,qui eũ in Sacramento sine quantitate locant. Adest, inquit,effigies, adest forma, ergo quantitas illi adest, &, proinde est circũscriptus. Non disputo, vbi sit cœlum sed dico cũ Aug. eum esse in vno loco cœli. Nõ negabo, quin suo modo fuerit visus Paulo post ascensionẽ, sed nego quòd vt homo eodem tempore fuerit in inferno, qui tamen vt Deus & erat & adhuc est. Nolo eũ credere simul esse & in cœlo & in terra, ne (vt ait Aug. in Ioh. tra. 4.) Destruam naturam corporis Christi, ne negem contra Scripturã, quin contineatur cœlo vsq; ad restitutionem omnium. Proinde sic conclude, Lector, cum beato Aug. in Io. 50. de verbis Domini. Vnus Iesus vbiq; per id quod Deus est, in cœlo aũt per id quod est homo. Semper quidem diuinitate nobiscum, sed nisi corporaliter abijsset à nobis, semper eum carnaliter videremus. Hactenus Aug. Redeamus ad Damasc. Corpus, inquit, Christi non descendit è cœlo, sed panis & vinum in carnẽ eius & sanguinem mutantur. Porrò etsi iam concederemus Pontificijs, hanc mutationẽ fieri in hominem aliquem, & inde inferre, quòd ille homo esset quidam Christus, qui pependit in cruce: non negabunt tamẽ, quin & hic Christus qui latet in Sacramento, & ille Christus qui est in cœlo, quẽ Damascenus dicit non descendere è cœlo, sint duo Christi differentes inter se primũ numero, demum loco distantes. Quocirca vt hoc illis cõdonemus, inquam, & horrendũ illud facinus quo homo manducatur illis admittamus, adhuc certum est, miserabiliter illusum pontificijs illis à diabolo, cũ volunt, vt ille Christus, q est in Sacr. adoretur. Fortiter enim ab eo facinore nos reuocat Aug. scribens ad Ian. ep. 100. & 19. In dei, ait, præcepto prohibetur coli figmẽtis hominũ dei simili-

Si Christus semper esset nobis cum in terra, semper eum carnaliter uideremus.

Nulla imago Dei coli debet, nisi illa quæ hoc est quod Deus.

tudo, non quòd non habeat imaginem Deus, sed quòd nulla eius imago coli debet, nisi illa quæ hoc est quod ipse, nec ipsa pro illo, sed cum illo. Hactenus Augustin. Nunc audiamus Diuum Epiphanium de Eucharistia sic loquentem in Ancorat. Non secundum æqualitatem (inquit) habent homines id, quod est secundum imaginem: verus est tamen, qui cum gratia id quod est secundum imaginem Dei homini largitus est, & quot sunt eiusmodi? Videmus quòd Saluator accepit in manus, quòd surrexit à cœna, & vbi gratias egisset dixit, Hoc est corpus meum, & videmus quòd non est æquale neque simile, non imagini in carne, non inuisibili deitati, non lineamentis membrorum. Panis enim Eucharistiæ est rotundæ formæ & insensibile secundum potentiã. Proinde voluit dicere Dominus, Hoc est corpus meum, nimirùm per gratiam, & nemo non fidem habet sermoni. Qui enim nõ credit, esse ipsum verum, sicut dixit, excidit à gratia & salute. hæc Epiphanius. Et nota hæc bene, amice Lector, vt scias quæ fuerit fides de Eucharistia per vniuersum orbem huius sanctissimi viri tempore. Credebant enim, Eucharistiam esse corpus siue carnem Christi potentia, & habere eius imaginem, non tamen Christo per omnia similem aut æqualem, sed per gratiã, siue ad mensuram. At Christo Deus non dedit spiritũ ad mensuram, sed in eo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, estq; Filius Dei Deo patri consubstantialis & æqualis: ergo panis Eucharistiæ non est Christus, non igitur ex grauissima authoritate Augustini Scripturæ consentiente est adorandus.

Eucharistia est imago corporis Christi, nõ tamen per omnia æqualis Christo.

Eucharistia est Christus per gratiam.

Rogas forsitan quid est imago illa, quam dicis Eucharistiam habere, cuius & homo est particeps qui dignè sumit Eucharistiam? Audi Augustinũ lib. de Ciuitate Dei 10.c.4. & lib.11.ca.26. Vir (inquit) est imago Dei, vt dicit Paulus, idest ad naturam Dei factus, similitudo vero ad

ea quib. est dotata natura, immortalitas, virtus, quibus Deo similis est. Nos enim in nobis tametsi non æqualem immò valde longè distantem neque coæternam, & quo breuius totum dicatur, non eiusdem substantiæ cuius est Deus, tamen qua Deo nihil sit in rebus ab eo factis natura propius imaginem Dei, hoc est summæ illius trinitatis agnoscimus adhuc reformatione perficiendam, vt sit etiam similitudine proxima. hęc Augustinus. Et miraris (lector) si iam dicit Epiphanius quod licet Eucharistia habeat id quod est secundum imaginem Dei, non sit tamen Deo æqualis aut Deus & proinde quod non sit adoranda, licet Deus, qui in tali habitat imagine sit adorandus? hoc est (ne forte) quod vult Gelasius contra Eutychem, dum ait. Eucharistia est res diuina, manet tamen eius substantia licet in diuinā naturam mutetur. Atq; imago quidem atq; similitudo corporis Christi in actione mysteriorum celebratur. hęc ille. Quod si aliter velis intelligere, nimirum de spiritu sancto, qui etiam fidelibus offertur verè & realiter in sacramento à quo panis sanctificatur, neque illum habet Eucharistia vt habet Christus ad æqualitatem, imago tamen est (ait Cyrillus lib. 11. cap. 27.) exquisita vnigeniti, & eos in quibus spiritus habitat, facit cōformes imagini filij Dei. At (pergit dicere) cùm omnis plenitudo diuinitatis habitet in Christo corporaliter, Christus vere Deus est. Christianus vero non est Deus, licet theophorus, id est habens spiritum sanctum qui est imago Dei per gratiā, hæc Cyrillus Epiphanio consentiens dicente, quod Eucharistia non habet imaginem Dei ad æqualitatem sed per gratiam, ergo conclude (lector) non est Deus, nam licet Deus infuderit & coniunxerit se pani ineffabiliter, non tamen assumpsit eum sibi in vnitatem personæ, vnde verè Christus dici possit, substantia tamen est carnis Christi viuifica & creatura nobilissima (fateor) at vt ait

Ambrosius lib.4. de sa. creatura licet solemnis. Vnde etiam patet, quod non per vulgarem gratiam adest Deus sacramento, sed per mirabilem & ineffabilem. Quòd autem Eucharistia non sit Deus, proinde nec Christus, sed diuinitatis tantum particeps, & imaginis Dei, facile poteris colligere ex hoc loco Epiphanij quem velim te bene notare amice lector. Nam vbi dixisset quod Eucharistia est corpus Christi habens id quod est secundũ imaginem, non tamẽ ad æqualitatem, sed per gratiam, infert statim hæc verba. Dominum vero nostrum nouimus totum sensum, totum sensitiuum, totum Deum, totum mouentem, totũ lucem, totũ incomprehensibilẽ sed qui cum gratia hoc nobis largitus est. Audis lector quod nec Eucharistia, nec homo fidelis qui Eucharistia pascitur, sit totus Deus, totus mouens, tota lux & cætera, sed qui hoc habeat ex gratia, per portionem, mẽsuram, siue participationem, & quid nunc habent quod respondeãt Pontificij aut cum illis aliquot nomine euangelici. Errasse Epiphanium cum toto illo sæculo? at hoc persuadebunt fungis, non christianis (opinor) ad propositum redeo (nam de ea re dicemus adhuc semel in sequentibus) panis & vinũ (inquit Damascenus) mutantur in carnem & sanguinem Christi, intellige igitur virtute & spiritualiter non actu seu formaliter in hominem aliquem aut crudam carnẽ, vt ex Augustino & Cyrillo probauimus, qui dicunt hoc vel solo auditu esse horribile. Restat proinde vt credas, quod panis & vinũ altaris per verbum Dei à legitime ordinato ministro pronuntiatum fiant mox etiam ante manducationem (inquit Nyssenus) caro verbi, & sanguis verbi, non sanguis carnis. fit igitur vinum sanguis Christi non formaliter sed virtute, sanguis inquam Christi non idem numero, sed specie idem cum sanguine quem Christus habet in cœlo, vel (vt mox dicemus cum Cyrillo, idem sanguis

Eucharistia nõ est deus indissolubili argumẽto probatur.

Vinũ in calice mox post uerba consecrationis fit sanguis uerbi, nõ tamẽ sanguis carnis.

guis

guis per affinitatem, aut cum Epiphanio, idē per gratiam. Est igitur sanguis potentia non actu, sanguis verbi non carnis. Nam vt fiat actu sanguis aut caro, debet mā ducari non circungestari, & nutritionis ordine in verā carnem conuerti & nostræ carni assimilari. Accipe hoc ex Theophilacto super Ioan. Et ne quem cōturbet (ait) quod panis credendus sit caro. Etenim & in carne ambulante Domino & ex pane alimoniam admittente, panis ille qui manducabatur in corpus & carnem Christi mutabatur, & similis fiebat sanctæ illius carni & in augmentum & sustentationem eius conferebat, sic igitur & nunc panis Eucharistiæ in carnem Domini mutatur. Audis lector? Si panis quem Christus comedebat non erat caro actu ante manducationem sed potētia, ita neque nunc est in altari. Erat quidem & fiebat Dominus in Christo propter diuinitatem in Christo habitantem (vt exponit Nyssenus) Sic & nunc est & fit diuinus in altari propter infusam illi diuinitatē per verbum. Vnde caro quæ ex pane illo in nobis per concoctionem efflorescit cū sit caro diuina, efficit vt magis simus diuini, cū sit sancta, efficit nos sanctiores. Quod si dicas mihi, cur Dominus igitur vocat sanguinem si non est verus sanguis, cur carnē si non est vera caro & in forma, vt dicunt? Non respondebo tibi vt faciunt Pontificij, qui dicunt, id factū à Domino vt horror carnis euitetur, quoniā horrendū est comedere crudā carnem, propterea voluit eā Dominus tegi accidētibus. Nā obsecro nónne æque horrēdū esset si quis diceret, accipe comede, hæc est caro patris tui tecta saccharo, æque inquā horrendū ac si non esset tecta? Audi igitur August. De genes. contra Manic. affirmantem phrasim esse scripturæ passim vsitatam, vt aliquid dicatur esse, quod nō est, sed quod vel mox erit vel esse potest. Informis, inquit, illa materia quam deus de nihilo fecit appellata est primò cœlum & terra, non

Phrasis est scriptura usitata, dicere aliquid esse hoc uel illud non quod sit sed uel quod mox erit uel esse potest.

quia iam hoc erat, sed quia esse poterat. Nam & cœlum dicitur postea factum. Quemadmodum si semen arboris postea considerantes, dicamus esse radices, & robur & ramos, & fructus & folia, non quia iam sunt, sed quia inde futura sunt. Innumerabiles tales loquutiones in scripturis diuinis reperies. hæc Augustinus. Ex quo discis lector, nihil esse absurdum quod dicimus, panem Eucharistiæ non esse carnem actu, etsi sic appelletur, sed quia manducatus ab homine fideli & eo qui est corpus Christi, transit demum in carnem actualem (vt sic dicā) licet antea, vim, virtutem, energiam carnis Christi habuerit. Vnde est quod dicit Cyrillus ad Colos. Nec enim horremus (inquit) carnem & sanguinem apposita sacris altaribus, condescendens enim Deus nostris fragilitatibus influit oblatis pani & vino vim vitæ, eaque cōuertit in veritatem propriæ carnis, vt corpus vitæ quasi semen quoddam viuificatiuum inueniatur in nobis. hæc Cyrillus, in quo bene notas opinor illud, conuertit in veritatem carnis, non ergo dicit in veram carnem, nam certè priusquam hoc fiat, debet manducari panis Domini, & sic fit vera caro in nobis, non in altari. Colligere id quoque forsitan poteris ex Marco Euangelista qui sic habet. Et accipiens Iesus calicem dedit eis, dicens: bibite ex hoc omnes, & biberunt de eo omnes, Tunc dixit illis Iesus. Hic est sanguis meus noui testamenti &c. Vides quòd Dominus vinum non pronuntiat esse sanguinem verum, nisi postquam illud biberūt & iam concoctione est in illorum corpore immutatū, & quòd hoc non tacuerit spiritus sanctus vt ab horrenda potatione sanguinis nos abstraheret, idem dicendū de pane. Non enim dixit Christus hæc est caro mea: comedite, sed comedite, hoc est corpus meum: debet igitur comedi vt fiat actu caro siue corpus carnis. Quod si mihi Iudam opponas, dico quòd sumpsit quidem sanguinem

Dominus infudit in panem uim uitæ, & cōuertit eum in ueritatem suæ carnis, non dicit in ueram carnem.

guinem Christi intelligibilem (vt vocat Hesichius in Leuiticum) carnem inquam Christi virtute, sed hæc virtus prius in eo euanuit, quã panis ad concoctionis finẽ peruenit, quia caruit calore charitatis, qui operari debebat cũ calore natiuitatis. Et.n. verum est quod iuxta Augu. accepit integrum sacramentum, scilicet verbũ cum elemento coniunctum mirabiliter, sed vim verbi quæ est spiritus sanctus (ut ait Cyrillus (non admisit. Quia) vt bene ait Cyprianus de cœna) licet nunquã se absentet diuina maiestas sacramentis, non possunt tamen, ait, spiritus esse participes, quorũ indignitas tantæ sanctitati contradicit &c. Et ideo Iudas nõ accepit panẽ Dominũ, idq; quia non credidit in Christũ verè Deũ & hominẽ, cuius morte erat à peccati seruitute liberandus, propterea totum quidem acceperat sacramentũ, quia sumpsit elementũ cui accesserat uerbũ, sed uerbum illud factũ est illi carbo ardens in gehennã, non alimentum in uitã æternam. Et hi sunt qui uocantur ab August. manducare corpus Christi sacramento tenus. Sunt alij, qui comedunt corpus Christi in sacramento, & sunt omnes fideles, qui cuius corporis symbolũ comedunt ore in terra, in cœlo ex mortuis rediuiuum intuentur & manducãt hoc est credunt, & sic cõiunguntur illi quidẽ per carnẽ, sed nondũ per spiritum: quia nec eũ diligunt nec imitãtur. Vnde cum illi uniãtur corpore in ecclesia, nõ tamẽ mente, si fideli confessione oris, nõ tamẽ cordis, si externis operibus, nõ tamẽ internis, ergo rem quidem sacramẽti mãducant, nõ uirtutem. De his duobus manducãdi generibus loquitur August. lib. 21. de Ciuit. Dei cap. 25. Qui nõ solum, inquit, sacramẽto (hi sunt infideles qui Paulo ad Cor. mori dicũtur) sed re (hi sunt fideles christiani sed aut tepidi unde infirmãtur, aut mali, unde dormiũt) mãducauerũt corpus Christi in ipso scilicet Christi corpore quod est ecclesia, cõstituti de quo Paulus,

Iudas bibit sãguinem Domini intelligibilem.

Nunquã se absentat diuina maiestas à Sacramentis.

Sunt qui Sacramentũ tantum sumunt ut infideles, sunt qui Sacramentũ et rẽ Sacramenti accipiũt, ut mali et tepidi christiani, sunt qui Sacramẽtũ, rẽ Sacramenti, et fructum Sacramẽti accipiũt.

vnus panis,vnum corpus multi ſumus. Qui ergo eſt in christianorum compage membrorum,cuius ſacramẽtum fideles de altari ſumere cõſueuerunt,ipſi ſunt qui manducant corpus Chriſti.hæc Auguſt.Ex quo duo genera diſcis eorum qui manducant corpus Chriſti, vnũ infidelium & hæreticorũ qui totum quidẽ ſacramentũ manducãt & proinde corpus Chriſti,ſed nomine & ſacramẽto tenus,alterum eorũ qui in vnitate fidei in Eccleſia perſeuerant & hi rẽ accipiunt ſacramẽti(vnitatis fidei donum ſcilicet)quæ quoq;(vt alibi Auguſt.) nõnullis cedit ad vitam, alijs ad mortem. Tertium reſtat,et eſt eorum qui & ſacramentum,& rem,& fructum ſacramẽti(qui eſt ſpiritus ſanctus & caro Chriſti ſpiritualis) percipiunt.De his Auguſt. in Ioa. tract. 26. Ad hoc ergo nobis hoc valeat dilectiſſimi,vt carnem Chriſti nõ edamus tantum in ſacramẽto,quod &multi mali(nota)ſed vſq; ad ſpiritus participationem manducemus,vt in domini corpore(hoc eſt vnitate fidei in eccleſia)manẽtes, eius ſpiritu tãquam membra vegetemur.hæc ille. Cui ſic conſẽtit Bernardus dicens. Ad ſpeciem panis pertingit mus paruiſſimus,ad veritatem carnis fides interior, ad fructum ſpiritualem charitas ſuperior. Vnde percipis multos manducare carnem Chriſti in ſacramento & ſic fieri corpus Chriſti per carnem, ſed nõ mãducare carnem Chriſti in cœlo,vnde nõ coniunguntur illi per ſpirirum.At,quid eſt eum manducare dices in cœlo? Reſpõdeo,eſt eum diligere,& illi ex dilectione(amor enim nunquam eſt ocioſus)obedire. hoc eſt quod Auguſt. ait 26.in Ioa. Manducare illam eſcam & illum potum bibere eſt in Chriſto manere,& Chriſtum in ſe manẽtem habere. Proinde addit,qui non manet in Chriſto (hoc fit fide,quæ per dilectionem operatur) proculdubio, nec mãducat ſpiritualiter corpus eius, licet carnaliter & viſibiliter premat dentibus tantæ rei ſacramẽtum, vbi nota

Mãducare carnẽ Chriſti uſq; ad participationẽ ſpiritus eſt ex dilectione obedire Chriſto et eum in uitæ actionibus imitari.

ta, quòd dicit malos christianos comedere tãtæ rei hoc est corporis Christi naturalis sacramentũ. Bonos vero & sacramentũ corporis & ipsũ Christi corpus, vnde percipis aliud esse sacramentũ corporis, aliud corpus Christi, hoc.n. in cœlo sursum est, illud vbiq; in tẽplo, hoc mãducatur fide & dilectione simul, non ore, illud etiam tãtum fide & ore, istud necessum est adorare, illud nihil aliud quàm honorare. Redeamus nunc ad propositum & illam meam sententiam de pane, qua assero non prius fieri carnem Christi actu quàm mãducetur, licet sit antea caro virtute & intelligibiliter, probemus ex Cyrillo in Ioa. cap. 13 lib. 10. Caro, inquit, vitæ facta vnigeniti caro, ad virtutem vitæ traducta est, non potest igitur morte superari, propterea in nobis facta, interitum à nobis expellit. Audis lector & notásne verbum illud (in nobis facta)? Id quod innuit rursus idem Cyrillus eodẽ libro alijs verbis dicens. An putat Arrius ignotam nobis esse mysticæ benedictionis virtutem? quæ cùm in nobis fit, nónne corporaliter quoque facit communicationem carnis Christi, Christum in nobis habitare? notásne iterum: quæ cùm in nobis fit? Non exerit igitur benedictio vim suã, hoc est Eucharistia nõ fit vera caro nisi in nobis, nobis inquam qui sumus filij Dei, & à Deo nostro Iacob benedictionẽ (instructi à matre ecclesia) impetramus per fidẽ. Alioqui si post verba cõsecratiõis panis mox actu fieret caro, cur Cyrill⁹ impiũ asserit vel hoc solũ cogitare? Cur August. scelus esse dicit deuorare crudã carnẽ, quanq; sit tecta (vt dicunt Pontificij) solis accidẽtibus? Item si vinũ fit verus sanguis & actu ante manducationem, cur Dominus qui nõ venerat soluere legem sed adimplere, voluit bibere sãguinẽ cũ vetus lex prohibuerit seueriter ne quis biberet sanguinẽ? constat ergo ꝙ siue domin⁹ biberit siue nõ biberit de calice Eucharistię & certũ est ꝙ fuerit verũ vinũ, quoniã addit:

Sacramẽtũ fit caro in nobis.

Impium est cogitare quod uera caro manducetur in sacramento.

non bibam de generatione huius vitis, donec illud bibam nouum in regno patris vobiscum. Si igitur bibit verum vinum cum Apostolis in regno patris, hoc est post resurrectionem (vt exponunt multi) profecto vinũ erat: quod Apostoli biberunt in cæna. Quod autem biberit Dominus vinum post resurrectionẽ, probat Chrysostomus in Matth. 26. dicens. Sed cuius rei gratia non aquam sed vinum post resurrectionem bibit Dominus? Perniciosam quandam, respondet, hæresim radicitus volens euellere eorum, qui aqua in mysterijs vtuntur. Addamus & illud ex Origene in Leuiticum hom. 7. quo probatur non solum Dominum non bibisse de vino Eucharistiæ, sed verum fuisse vinum quod biberunt Apostoli, licet virtute fuerit sanguis. Prohibet (inquit Origenes) ipsa lex ne Aaron aut eius filij bibant vinum, accessuri ad altare. Id quod possumus aptare magno Pontifici nostro, Christo Iesu. Nam venerat in hunc mundum saluator vt pro peccatis nostris carnem suam offerret Deo hostiam, hanc priusquam offerret, inter dispensationum moras vinum bibebat, & dicebatur uini potator. Vbi uero tempus aduenit crucis suæ & accessurus erat ad altare, ut immolaret hostiam carnis suæ, accipiens calicem benedixit & dedit discipulis suis dicẽs: Accipite, bibite ex hoc (uos inquit) bibite, quia modo accessuri non estis ad altare. Ipse autem Christus tanquam iam accessurus ad altare dicit de se. Amen dico uobis, quia non bibam de generatione uitis huius: hactenus Origenes, qui satis docet uinum in altari consecratum manere uinum, licet suscipiat uim & uirtutem sanguinis Christi. Quid quod & ipse Origen. in Matth. hom. 35. adeo non putauit panem, quem manibus contractas & ore in cœna Domini suscipis, esse ipsissimum corpus Christi, ut (perfectiores instruens christianos, unde videtur Caluinus suæ opinionis iecisse fundamẽtum

Dominus non bibit de uino consecrato cũ Apostolis, uinũ tamen fuit licet uirtute sãguis Christi.

Opinio Caluini desũpta ex Origene quæ non est impia, sed ad perfectos pertinet, Christus autẽ in cœna imbecilliores pascit & in uisibilib. dat inuisibilia, id quod contẽnere superbiæ est.

tum) dicat eadem Hom. in hæc verba. Quando (inquit) Euangelista dicit, Accipiens Iesus panē, qui adhuc paruulus est in Christo, & in Christo carnalis intelliget de pane communi & vsitato, at prudentior potius quærat, à quo accipiens Iesus panem? respondet, à Deo accipit, & dat ijs qui digni sunt accipere. Nam Iesus semper his qui secum agunt festiuitatem accipiens panem à Patre, gratias agit & frangit, secundum quod vnusquisq; potest accipere, & dat dicens, Accipite & manducate, & ostendit, quando eos hoc pane nutrit, proprium esse corpus, cùm sit ipse verbum, quod nunc necessarium habemus. Hactenus Origen. ex quo discat Lector, quòd corpus, quod dat Dominus vel contemplationis fideique ore suscipiendum, citra panem visibilem extra cœnam nobis orantibus, vel quod in Ecclesia dat cum vel in pane, sit corpus Verbi æterni, quod tamen in panem illapsum mirabili & ineffabili modo, panem facit transire in substantiam illius carnis, quam sursum euexit in cœlum, estque cum ea eiusdem generis caro, ex qua verè alitur carnis nostræ substantia. Manet ergo substantia vini, licet spirituali mutatione transeat in naturam sanguinis Christi. Sic stabilitur pulcherrima & minimè horrenda manducatio carnis Christi, eius, inquam, carnis quæ fit ex pane & vino, & est in Sacramento: de qua dicebat Cyrillus in Iohann. Arbitrabantur, inquit, Caparnaitæ, se vocari more ferarum ad crudam hominis carnem manducandam, quia nondum didicerant pulcherrimam dispensationis carnis Christi rationem. Si igitur qui Augustanæ sunt confessionis de tali substantia carnis Christi intelligunt, cùm docent in suis Catechismis, Christum verè, scilicet secundum diuinitatem, & substantialiter per substantiam carnis, quæ fit ex pane & vino, sed per gratiam adesse Sacramento, nihil absurdi aut à Scriptura, aut à Patrib. hactenus docuerunt.

Quomodo Augustana confeßio bene senserit de sacr.

Etenim (vt bene ait Nyſſenus) cibus Christi erat panis, proinde caro Christi panis erat potentia, de quo loquitur Propheta, Mittamus lignum in panem eius, hoc eſt in carnem. Hanc igitur carnem in pane ſpecie & natura eandẽ verbo vtpote viuifico mirabiliter perfuſam nobis reddit in Sacramento. Hinc eſt, quòd non ſunt veriti patres dicere, nos figere dentes in carnẽ Chriſti, idq́; reuera. Item & Chriſtum apparere viſibiliter in ſua carne ſuper altare. Hinc Chryſ. in Iob.31. Quis daret nobis vt carnib. eius impleremur. Hoc, ait, fecit Chriſtus, qui vt nos maiori charitate aſtringeret, non ſe tantũ videri permittit, ſed & tangi, & manducari, & dentes carni ſuæ infigi. Sic & Cyrill. in Ioh. Meritò, ait, diebus dominicis congregationes fiunt, quibus ſublimiori modo ianuis clauſis ipſe Chriſt⁹ & viſibiliter & inuiſibiliter apparet. Inuiſibiliter vt Deus, viſibiliter in ſua carne & corpore.

Mira cœcitas Pontificiorum

Hæc ille, qui aut mẽtitur, aut Pontificij. Nam hi dicunt, quòd inuiſibiliter latet ſub accidentib. panis vt homo, ne ſe comedentib. horrorem incutiat. At Cyril. contrà. Inuiſibiliter, inquit, apparet vt Deus, ſed viſibiliter in carne, & quomodo precor hæc conciliabimus? Qui ſacramento parùm tribuunt, aut ſaltẽ non tantum quantum debent, dicunt quòd viſibiliter apparet in corpore, quia viſibile ſignum adeptum eſt nomẽ ſignati, ideò ſigno tribuitur ipſa res. Et certè ſi Cyrillus loqueretur de corpore Chriſti naturali, locum haberet hæc expoſitio. Nam hoc verum eſt, quòd iſta ſacramẽta ſola ſunt ſigna, & ſolùm habent nomen corporis Chriſti naturalis. At ſi loquitur (vt loquitur) de carne illa panis, quæ habet id quod eſt ſecundum imaginem, non tamen ad æqualitatẽ, ſed per gratiam, magnoperè falluntur. Proinde ſi Patrum conſentientẽ & Scripturæ & rationi doctrinam recipimus, dicemus quòd verè apparet in ſua carne Chriſtus, quia infundente ſe in panem diuinita-

te, pa-

te,panis fit caro,hoc est,transit in naturam carnis Christi. Id dicit Gelasius Pontifex his verbis. Substantia panis non perit,sed transit in diuinam, Spiritu Sancto operante, naturam. Consentit huic Ambr.dicens:Mira est potentia Dei, quæ facit vt panis maneat id quod est, & tamen mutetur in aliud.Mutatur igitur panis,sed ineffabiliter,quia spiritualiter,fitq; virtute caro Christi,& per gratiam. Sententiæ huic subscribit & Theophilactus in Marc.Christus,inquit,panem in virtutẽ suæ carnis conuertit. Idem dicit Cyprianus de Cœna. A communibus cibis differt hic panis, inquit, corporalis quidem substantiæ retinens speciem,sed virtutis diuinę inuisibili efficientia probans adesse præsentiam. En fatetur adesse maiestatem & virtutem diuinam,at vbi dicit quòd aut cum pane,aut sub pane lateat Christus? Accipe & Epiphan.in Anaceph.Cibus quidem,inquit,est panis,sed virtus in ipso ad viuificationem est.& iterũ:Non petimus vt panis fiat nobis virtus, sed vt virtus panis fiat nobis virtus. Simile D.Basil.in epist.ad Cœs. Idẽ,ait, est virtute,siue vnam partẽ panis sacramentalis quis accipiat à sacerdote,siue plures. Astipulatur omnibus his Cyril.ad Calosir.Benedictionis,inquit,virtus & viuifica gratia perpetuò manet in pane Eucharistiæ. Ex his igitur & eiusmodi satis percipis,amice Lector,quòd panis Eucharistiæ sit caro Christi potestate & virtute, non actu,per gratiam,non per naturam. Deniq; caro quæ facta est ex pane & vino,non quæ ex purissimo Mariæ virginis sanguine,nisi speciem accipias pro indiuiduo, aut partem pro toto,qua ratione dicebat Augustin.Accipe in pane quod pependit in cruce, & bibe de calice,quod effusum est de latere.Nam reuera diuinitas & æternum Dei verbum sumitur cũ pane, quod aliquando pependit(loquendi quodam modo)in cruce. Vnde Ambrosius in Oratione quadam inter sacrificandum:

Manet panis id quod est, & tamẽ mutatur in aliud. Am.

Quomodo panis euc. differt à communibus cibis.

Hæc est, inquit, ô Christe deitas tua, quæ meam induta naturam crucis ascendit patibulum, quæ in assumpta carne triste tulit supplicium. Quocirca certũ nunc est, eos errare qui nihil agnoscũt in pane aut carnis dominicæ aut maiestatis diuinæ. Deinde & eos grauiter falli, qui eandem numero substantiã carnis Christi ponunt in Sacramento cum illa quæ est in cœlo. Proinde fœdè & forsitan damnabiliter nonnulli, qui Augustanæ sunt confessionis, in tali sententia persisterent. Licet enim (vt bene dicit Cyrillus in Iohannem) Christus & spiritualiter & carnaliter sit vitis, nos palmites, vnde Christus nostri generis carnem habet, & nos quoque eiusdem substantiæ carnem cum ipso habeamus, proinde vnum simus vnitate in Christo, sicuti palmites eiusdem substantię sunt cum trunco & vite, palmes tamen truncus non est, nec Petrus, inquit, Christus est: quare etiam & hoc infero, quòd etsi substantia panis mirabili infusione diuinitatis facta sit substantia carnis Christi, propterea tamen panis Christus non est nisi nomine & per gratiam, ait Epiphan. nec eius caro, nisi natura & specie. Præterea dabunt mihi, opinor, & ipsi & Pontificij, quòd non mentitus sit Irenæus cum infinitis alijs, qui dicunt virtute mysticæ benedictionis panem Sacramenti fieri carnem Christi, ex qua alitur atq; augetur carnis nostrę substantia, idq́; per nutritionem & cõmutationem siue concoctionem veram, vt ait Iustinus, & Theophilactus quoq;. Vnde Rabanus dicebat: Sacramentum Eucharistiæ in alimentum corporis redigitur. Idem asserit Nilo Episcopus. Ab omni, inquit, corruptione abstine, mysticæque cœnæ quotidie particeps fias, ita enim Christi caro in nostram mutatur. Si ergo Sacramentum aut cum sacramento est ipse Christus Deus & homo, mutatur Christus in nos. At longè aliud dicit Christus alloquens Augustinum lib. 7. Confes. dicẽs. Nec tu me mutabis

Modo quodam loquẽdi deitas pependit in cruce.

Christus & carnaliter & spiritualiter uitis est, nos palmites.

Caro Sacramenti in nostrã carnẽ mutatur

tabis in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me. Sic Aug. in Ioh. 40. Veritas, ait, est verbum Dei, veritas panis est, mentes reficit nec deficit, mutat vescentem, non ipsa in vescentem mutatur. Præterea si caro Sacramenti esset ipsissima caro Christi, fieremus hoc pacto verè & naturaliter Christo consubstantiales. At Diuus Cyprianus id pernegat tract. de Cœna, inquiens. Nostra vnitas cum Christo non pertingit vsq; ad consubstãtialitatem cum eo, sed vsq; ad germanissimã eius societatem. Solus namq; Filius Patri est consubstantialis, neque est diuisibilis, neq; partiabilis substantia Trinitatis. Nostra verò & ipsius coniunctio nec miscet personas, nec vnit (intellige hypostaticè) substantias, sed confœderat affectus, & consociat voluntates. hæc ille. Et quid ad hunc respondebunt Pontificij, siue aliquot Euangelici? Dicent fortè vt solẽt, Fuit homo. At quæro, sunt & ij qui ei contradicũt Dij? Quod ad me attinet, & credo, & ad mortem vsq; credam in re sacramenti, & alijs fidei mysterijs (Deo iuuante) Cypriano, Iren. Neocæsariensi, Aug. Orig. Athan. & eiusmodi tũ sibi consentientib. in hac re, tũ Scripturę. Pręterea cõcordi voce docentibus, ꝙ Sacr. corporis Christi aliquo modo corpus Christi est, quem modum ex Nysseno explicauimus. Ex quo didicimus ratione mysticę benedictionis, quã accipimus in pane & vino nos vniri Christo per carnem, vt homini, & per S. S. vt Deo. Et licet quoq; id quotidie fiat spiritualiter citra sacr. fit tamẽ ꝑ sacr. ad imbecillis fidei nostrę robur magis efficaciter. Cùm. n. per peccatũ contra conscientiã siue mortale quis Spiritũ S. cõtristauit, & à se expulit, vt non nisi præuia pœnitentia eaq; seria propter Iesum Christũ fide reuocatur, ita si reuocatum & quasi redeuntem percipere certo argumento volumus, multò melius id ex Sacramento, cui sese infudit cum verbo ineffabiliter, quàm ex secreto illapsu cogno-

Nostra unitas cũ Christo nõ est cõsubstantialis, sed germanißima, & nota bene.

Cur institutum sacramentũ, et quid commodi ex eius sumptione.

scemus. Adeunda igitur est Ecclesia,& panis ille ἐπιούσιος à Domino de sacerdotis manu petendus & suscipiendus, tum ad redeuntis gratiæ Sanctique Spiritus certitudinem, tùm ad augmentum nostræ fidei, quinimmò ad spiritualis potissimùm alimoniæ incrementum. Vt enim Reges liberalius omnia profundunt in publico omnium nobilium & filiorum cõuiuio quàm priuato symposio,sic Deus Spiritus Sancti gratiam pleniorem expandit in suos animorum concordia & charitate sibi vnitos in vera Ecclesia, simul & pœnitentiæ pietatisque operibus insudantes.Propter quod clamabat Psalmista, opinor, Ecce quàm bonum & quàm iucundum, habitare fratres in vnum. Proinde vtut homo non sit in peccato mortali,suaserim tamen ob multiplices commoditates, vel omnibus,vel saltem Dominicis diebus sumere Eucharistiam, vbi præsertim nihil est quod remordeat conscientiam, paxque est tibi foris cum proximo, & intus cum Deo. Pareamus igitur piè monenti Cyrillo, & hortanti ad mysticam benedictionem quam Eucharistiam vocat, in Iohann. libro quarto Nos, inquit, si vitam æternam consequi volumus, si largitorem immortalitatis in nobis habere desideramus ad recipiendam benedictionem libenter accurramus, caueamusque ne loco laquei diabolus damnosam religionem nobis prætẽdat. Rectè(inquis)dicis,sed tamen scriptum est,qui indignè sumit,sibi iudicium sumit,ego igitur probo meipsum, & indignum reperio. Quando ergo,qui ista dicis,dignus eris?quando teipsum offeres? Nam si peccando indignus es, & peccare non desinis, (quis enim delicta intelligit)expers omnino eris viuificæ huius sanctificationis. Quare pias quæso suscipe cogitationes, studiosè sancteque viuas, & sacra benedictione participes, quæ (mihi crede) non mortem solùm,verùm etiam morbos omnes depellit. Sedat enim

Eucharistia primitiæ panis nostri quotidiani.

In cœna debemus nos & nostra offerre Deo, id quod designamus, oblato pane ad altare.

Christus

Christus, cùm in nobis est, sequientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, nec in quibus sumus peccatis considerat, sed ægros curat, collisos reintegrat, & sicut pastor bonus ab omni nos erigit casu. Hactenus Cyrillus, cuius consilium sequere, amice Lector. Non enim à te superstitiosam & quasi omnino necessariam exigit (vt in alio libro dicemus) confessionem auricularem, si nihil est quod tuam grauat conscientiam, aut eam vehementer pungit, à cuius vel remorsu vel vinculis teipsum nec liberare nec extricare vales, quo in casu (inquit Augustinus) hortor, vt pij & docti ministri indicio reconciliatus communioni socieris. Siquidem vt inquit Theodorus Archiepiscopus Cantuarien. Confessio quę Deo fit, sufficit. Docet autem qualiter purgari possint ipsa peccata, quæ ministro prudenti tamen & eius rei perito fit. Si igitur tali consilio non eges, nec grauibus peccatis detineris, publica sacerdotis absolutione contentus, adi confidenter Dominum quotidie, & semper, quandiu, ait Augustinus, animus est sine affectu peccandi & praua voluntate. Quo magis miror nonnullarum Ecclesiarum Euangelicarum morem, in quibus vt non offertur sacrificium visibile inuisibili saltem modo, ita nec distribuitur nisi ter aut quater in anno. Itáne ob quorundam & paucorum ignauiam, arcebuntur optimi senes & sanctæ matronæ, virgines quoque & cœlibes religiosi à communione quotidiana corporis & sanguinis Iesu Christi? Quapropter non desinam hortari, vt quandoquidem Sacramento euocatus pijs desiderijs adest Spiritus sanctus, ignis ille amoris suauis & expetendus, saltem ea gratia eum suscipiamus, quàm possumus frequentissimè, cũ sese tam liberaliter nobis offerat, vt si quas super fidei fundamẽto extruxi-

Commoda susceptæ euchar.

Quotidie debet offerri & distribui corpus Christi in magnis eccles.

mus stipulas, si quod fœnum, si quæ videlicet in nobis erunt leuia & nostræ fragilitatis peccata, illa suæ charitatis flamma consumat, vtq; indies per eum magis magisque sanctificati, idonei reddamur, qui nos offerre possimus Patri per Christum in iuge sacrificium laudis & obedientiæ, oblatione panis & vini ad altare designatum. Sed redeamus demùm vnde digressi sumus. Diximus ex Cypriano, quòd nostra societas cū Christo est germanissima. Proinde audi Leonem I. Episc. verè magnum sic dicentem. In illa distributione spiritualis alimoniæ hoc impartitur, vt accipientes virtutē cœlestis cibi, in eius carnē, qui pro nobis caro factus est, transeamus. Audiant nunc Pontificij suum (vt vocant) Pontificem, qui sacramento adesse virtutem cœlestis cibi affirmat, qua admissa & in animæ penetralia per fidem traducta, transibimus in carnem Christi spiritualem. Non igitur dicit, quòd caro Christi naturalis transit in nos, transiret autē si Eucharistia esset corpus ipsiss. Christi, idq; nutritionis lege, vt vult Iustin. & Iren. Alia proinde est caro Christi, in quā nos transimus, alia caro Sacramenti quæ transit in nos, quippe hæc est palpabilis, illa non, hæc carnalis, illa spiritualis. Vidit hāc differentiam & ipse Thomas de Aquino q. 73. art. 4. cùm ait. Hæc est differentia inter alimentum corporale & spirituale, quòd alimentū corporale conuertitur in substantiam eius qui nutritur, sed spirituale cōuertit hominē in seipsum. Hæc Thomas, qui videtur collegisse ex dicto Leonis I. q ait. Nihil aliud facit participatio q̃ vt in id quod sumimus transeamus. Dicite igitur Pontificij, Estne Eucharistia substātialiter Christus cū sua anima per concomitantiā? Est, respondebitis, scio. Quæro rursus. Mentitur ne Iren. qui dicit ex Eucharistiæ substantia ali & augeri nostræ carnis substantiā? Non, dicetis opinor. Cùm igitur dicit Leo, ꝙ transimus in id quod sumimus, vel

Panis & uinū ad altare oblata, indicāt oblationē cordium totius Ecclesiæ

Nos transimus in carnē Christi, at caro sacramēti transit in nos.

Eucharistia

Eucharistia est res spiritualis & nō tangibilis in quā nos trāsimus & sic nō alit carnis nostræ substātiam & mentitur Ireneus, vel est res tangibilis & corporea quam si vultis esse Christum, transit ergo in substantiam nostræ carnis & sic mentitur Leo, & verum dicit Ireneus. Proinde sic quæro cum Chrysostomo in Corinth. hom. 24. Quid est panis siue Eucharistia? respondet Chrysost. est corpus Christi, vel vt exponunt Pōtificij est integer Christus. Sed quid fiunt, inquit, qui manducant Christum, aut eius corpus? Respondet Leo, transeunt in eum, negat Ireneus, Christus transit in eos, ait, vide quibus labyrinthis sese inuoluant Pontificij, dum suam ponunt trā substantiationem. Quanto melius omnes patres, qui constituunt panis substantiam, qui cùm sit potestate caro, accessione verbi viuifici transit in carnem diuinam, & proinde in sacramentum carnis Christi. Sic iuxta id quod habet materiale Eucharistia transit in nos, iuxta id quod habet spirituale, transimus in illud & fimus spirituales, quia hac ratione pascimur carne Christi spirituali, spiritualiter tamen. Hac proinde ratione nostra societas cum Christo est germanissima, vt dicebat Cyprianus, quia caro sacramenti germana est carni Christi, quam comedentes ore simul & carnis & fidei, fimus Christo germani & affines: quia (vt ait Leo) transimus in id quod sumimus. Approbat id & Cyrillus in Ioann. cap. 16. Sumus, inquit, omnes in Christo, & communis humanæ naturæ persona in Christo reuixit, sic per vnū generis nostri ad nos quoque peruenit illud. Ego dixi Dij estis, est igitur Christus in nobis propter affinitatem carnis qua illi coniungimur. hæc Cyrillus. En audis affinitatem carnis, vt scias substantiam carnis, quæ est in sacramento & qua alitur caro christiani, non esse eandem identitate numerali cum Christi carne, sed eiusdē generis & naturæ, siue similem, similem dico non ipsam.

Pascimur carne Christi spirituali sed spiritualiter.

Christus est in nobis propter affinitatē carnis qua illi coniungimur, nota.

eandem,vnde Ambrosius de sacra.lib. 4.Similitudinē,inquit,preciosi sanguinis bibis.hinc Cyprianus:habet,inquit,tota hominis compositio plenam perfectamque lætitiam, cùm spiritus diuinam in nobis repræsentat imaginem,& caro nostra carnis Christi similitudinem &c. Notásne iterum carnis Christi similitudinē? Aduerte & huic consentientem Chrysostomum hom. 61. Cogitemus,ait,quotquot huius corporis quod in altari proponitur simus participes, quod illum sursum sedentem & qui ab Angelis adoratur,incorruptibili vicinum virtute degustamus. Denuo obsecro,nota illud,vicinum,vt discas quod corpus altaris non sit ipsamet caro Christi,sed imago siue misterium ipsius, Christi carni vicina & affinis.Id quod alias collige ex Chrysost.ho. 11.operis imperfecti. Si, inquit, hæc vasa transferantur ad communes vsus periculum est in hoc,in quibus verum Christi corpus non est,sed mysteria corporis Christi continentur. Quid velles tibi dici apertius, quo tibi persuadeas carnē quæ est in sacramēto nō esse ipsissimā carnē Christi,sed illi natura similē,siue cognatā? Proinde ne graueris & iterū audire Cyrillum sic dicentem in Ioa. Oportebat .n. non solum vt anima nostra per spiritum sanctum in vitam ascenderet, sed etiā vt rude hoc & terrestre corpus cognato sibi gustu, tactu, ac cibo, ad immortalitatem reduceretur. hæc ille. Inde satis percipis opinor,quod panis sacramētalis quem ore gustas, tangis,ac comedis,non sit ipsemet Christus aut ipsissima caro Christi,sed alia illi cognata, ut dicit Cyrillus. Vnde quando eam fideli & ore & corde comedis, transis & tu in carnem Christo cognatam& similē. Duæ proinde Christi carnes siue duo illius corpora manducari debēt si uera & animæ corporiq; salutaris communio celebrari debet. Vna est Christi caro quæ in cœlo est gloriosa,quæ sola fide & contēplatione desiderioq; uirtutum

In altari nō est uerum Christi corpus sed mysterium siue sacramentum ipsius.

tutum manducatur, & è qua mystica benedictiō siue spiritualis caro & in panem & in nos tempore cœnę prę sertim, defluit. Altera est caro sacramenti visibilis, & tangibilis, quæ & ore & fide (nam habet aliquid quod per istud os intrare debet.) manducatur ad corporis, & animæ potissimum, nutritionem. Quare apposite dixit Tertullianus, caro nostra carne Christi pascitur, vt anima de Deo saginetur. Audis aliquam esse carnem Christi, quæ nostram carnem verè pascit, aliam quæ pascit animam? De vtroque hoc pane siue carne & verbi viuifici & sacramentali dicebat & Augustinus in quadam oratione quæ sic habet. Amo te Deus meus, & magis atque magis amare volo. O amor indeficiens, qui quotidie comederis (en panis verbi) & semper integer manes. Da vt ad salutem animæ meæ manducem cibum carnis tuæ, en panem sacramentalem, quippe vsitatus cibus Christi erat panis, qui sicuti propter habitantem in Christo diuinitatem fiebat diuinus cùm manducaretur, ita noster panis propter verbum illi additum per verbum: hoc est corpus meum, transit in naturam verbi, & cùm sit caro potentia, fit caro Christi qui est verbum Dei. Proinde caro diuina propter habitantem in ea diuinitatem. Sed dicet hic aliquis. Si diuinitatis pręsentia in pane aut vino facit panem esse sacramentum carnis Christi, ergo omnis panis etiam communis est sacramentum corporis Christi? Nam si diuinitas omnia implet & vbique præsens est, ergo etiam in omni pane & omni vino, quid igitur opus pane altaris? Audi amice lector quid respondet Augustinus epistola ad Dardanum. Vbique quidem, inquit, & totus est Deus per diuinitatis præsentiam, sed non vbique per habitationis gratiam: deinde etiam in quibus habitat non æqualiter habitat: nam vnde alij alijs essent sanctiores nisi abundantius habendo in se habitatorem deum. hæc ille.

Duo corpora Christi debent manducari ut salutaris sit nobis cōmunio.

Si præsētia diuinitatis in pane facit panem esse sacramētū corporis Christi, ergo omnis panis est tale sacramentum, nam cū diuinitas ubiq; sit & omnia impleat, implet quoque communē panem & illi adest.

Vbique est Deus per diuinitatis præsentiam sed non ubique per habitationis gratiam.

Est proinde(fateor)Deus in pane tuo vulgari per diuinitatis præsentiam, sed non per habitationis gratiam, proinde nec corporis & sanguinis Domini proprium sacramentum. hinc Augustinus de Trinitate lib.3. cap. 4. Illud tantum corpus & sanguinem Christi dicimus, quod ex fructibus terræ acceptum & prece mystica cõsecratum rite sumimus ad salutem spiritualem in memoriam pro nobis Dominicæ passionis, quod cum per manus hominum ad illam visibilem speciem perducitur, non sanctificatur, vt sit tam magnum sacramentum nisi operante inuisibiliter spiritu Dei. Propterea (pergit dicere contra Faustum lib.2.) Panis noster Eucharistiæ certa consecratione fit non nascitur, proinde quod non ita fit, alimentum est refectionis, non sacramentũ religionis. huic consentit Theophilus Alexan. dicens, Panis quo saluatoris corpus ostenditur, & sacer calix qui in ecclesia collocatur per inuocationem & aduentum sancti spiritus sanctificatur. hæc ille. Ex quo hoc poteris colligere, in altari tria proponi aut potius quatuor vt lucidioris doctrinæ gratia omnia explicemus.

Panis altaris fit Sacramentum corporis Christi operante inuisibiliter spiritu sancto.

Primò vides panem, quem qui solo ore sumunt, si animalia fuerint irrationalia, sumunt solum ad beneficiũ præsentis vitæ, si fuerint rationalia, sumunt illum etiam & ad eum finem, sed quæ si in infidelitate perstiterint, cum etiam sumant cum pane Deum per generalem præsentiam diuinitatis, iudicem accipiunt non saluatorem, causam si requiris respondeo cum Paulo. O altitudo diuitiarum scientiæ & sapientiæ Dei, & venio nunc ad fideles. Ex his igitur sunt qui accipiũt panem, cui vnita est diuinitas per habitationis gratiã, sed quia talis nõ adest nisi operante spiritu sancto, tria in altari proponũtur, panis ex cui⁹ simili substãtia aucta est substãtia corporis Christi, diuinitas fauorabilis, tertium spiritus sanctus. Fidelis ergo credens æternũ Dei filium incarnatũ

si fuerit

si fuerit extra peccatū mortale,suscipit ore substātiā carnis,cui adest diuinitas Christi fauorabilis siue per habitationis gratiam:proinde patrē habet in se habitantem & filiū per fidem. Iam cum spiritus sanctus efficiat & operetur vt hoc pacto adsit Deus pani sacramentali, si dilexerit Christum,accipiet etiam simul in se operantem spiritum sanctum,quòd si diliget Christum,diliget quoque domum habitationis Christi, at cum Christū credat ex mortuis rediuiuū iam relicta terra in cœlos ascēdisse,debebit quoque relictis terrenis,ad spiritualia contendere,hoc est transire à vitijs ad virtutes,quarum sūma est charitas,ergo charitate & dilectione retinetur & totus possidetur Deus. Cum igitur sint qui plus,alij minus diligant, fit (teste Augustino prædicta epistola ad Darda.)vt alij alijs sint sanctiores, abundantius habendo in se habitatorem Deum; vnde fit (forte) vt cùm panis abundantissime habeat in se Deum, merito sanctū sanctorum dicatur. Qui igitur nihil diligunt (sunt autē illi omnes qui in peccatis mortalibus perseuerant & fide historiali tantum credunt in Christum) hi præsentiæ diuinitatis Christi beneficio indigni ad iudicium æternæ mortis accipiunt sacramentum. Verùm de his toto hoc libro non loquimur, vtpote ad quos non pertinet cœleste hoc,de quo loquimur nutrimentum. Redeo ad August. orantē. Da(inquit) ô Deus qui quotidie manducaris & semper integer manes (hoc fit amore cœlestiū, desiderio virtutum quas in Christo contemplaris,affectu vitæ & habitationis æternæ,in quam euectum Iesū gloria plenum per fidem intueris) vt ad salutem animæ meę manducem cibum carnis tuæ(hoc fit si sacramentaliter panem Eucharistiæ ore intromittens,nullis peccati mortalis fœtorib⁹ arceas,quod in eo est spirituale) quatenus manducando te(scilicet suscipiendo quandā carnis tuæ substantiam in pane,& cū eadē præsentiæ di-

Qui sunt qui totum Deum in se habēt per habitationis gratiam.

Qui fit ut alij alijs sint sanctiores, & unde Sacramētū sanctū sāctorū dicatur.

Qui in uoluntate peccandi perseuerāt Sacramentū accipiunt ad damnationem.

uinitatis spiritusque tui gratiam) viuam de te, perueniam ad te, & requiescam in te. hæc Augustinus. Ex quo percipis quòd qui rectè communicant, sicuti verbum viuificum in pane sacramentali & ore fideli & corde reuerenter suscipiunt, vnoque veluti oculo intuentur, ita altero (in cœlum euecti) quem diuinitate præsentem, eundem diuinitati in sempiternum coniunctum humanitate absentem adorant in gloria. Sic licet intellectu (vt naturarum proprietates seruent) Deum ab homine secernũt, reipsa tamen in vna persona filij Dei Iesu Christi personaliter vbique præsentis, duas inseparabiles naturas non confusas & confitentur & fide manducant, hoc est credunt. Idipsum est quod Cyprianus dicebat in fine tractatus de Cœna. Ista facientes, inquit, non dentes acuimus ad mordendum, sed fide pura panem frangimus, dum quod humanum est ab eo quod diuinum separantes (realiter enim Christus vt homo nec manducatur à nobis, nec habitat in nobis) & rursus eadem coniungentes, vnum Deum esse testamur. Idem dicit Concilium Nicęnum. Non hæreamus, inquit, in pane & vino, quę mensæ Domini apponuntur, sed sursum fide erigamus corda, & animaduertamus agnum illum qui tollit peccata mundi in hac præstò esse mensa &c. Obsecro igitur si Christus totus est & integer in hoc sacramẽto, cur sursũ vult eleuari corda, cur non potius deorsum in panẽ, cùm neutrobiq; liceat eum intueri nisi fide? At si vt homo sursum, vt Deus autem nunquam ab homine recedens vtpote infinitus etiam deorsũ, merito sursum conspicitur & in hac mẽsa adesse creditur. Qui igitur christiani hoc pacto manducant, merito carnem seu corpus Christi gloriosum quod sursum fide intuentur propter illius ineffabilem vnionem cũ verbo vbiq; personaliter, vt dixi, in spiritu adorant. Hinc facile intelligitur Augustinus cùm dicit in Psal. illum. Adorate

Quomodo adorādus Christus dum suscipitur Eucharistia.

Quid sit frangere panem in cœna.

Christus propter unionem cum uerbo personaliter ubiq; non realiter ut homo.

te ſcabellum pedum eius. Chriſtus (ait) ſumpſit carnē de Maria Virgine, proinde ex terra quæ eſt ſcabellum pedum eius. In ea carne mortuus eſt & reſurrexit, eandem carnem nobis quotidie ad manducandum dat &c. Dicit ergo eandem dat ad manducandum, ſcilicet ſola fide, ſi de ea intelligit, quæ eſt in cœlo, vel cādem ſpecie ſi de ea intelligit, quam manu tangis in ſacramento, nō quod ſit caro, ſed quia erit poſt manducationem, ſicuti dicitur, memento homo quia cinis es. Neque enim adhuc es cinis actu, ſed eris poſt mortem. Talis eſt ergo intellectus huius loci, alioqui quid ad Auguſt. reſponderes dicentem in alio loco. Nō hoc corpus, quod videtis, mā ducabitis, ſed myſteriū vobis cōmendo, ſpiritualiter intellectum viuificabit animas veſtras. Sic proinde adorāt chriſtiani carnem Chriſti ſiue corpus (idem .n. eſt, quia vt dicit Auguſt. de fide & ſymbolo. omnis caro eſt corpus) non eā quā in ſacramento manu intelligibiliter tenent, ſed quā à ſacramento tāquam ab imagine ad veritatē ſurſum impulſi contēplantur. Nam cùm Chriſtus dicit: mā ducate, hoc eſt corpus meum, ſi viſibile reſpicis carnem ſacramenti intelligit, quæ ore deglutitur, ſed cū addit: hoc facite in mei memoriam, illud quod in cœlo eſt nobis commendat corpus, quod manducare dicimur, & proinde adorare, cùm vera fide illa quæ etiam diligit, Chriſti ampliſſima in nos beneficia diligenter ad fauces memoriæ reuocata (ait Cyprianus) vti vngulam findentia pecora proni, & cum gratiarum actione ruminamus. Quocirca etſi ſacramentum res diuina ſit, illique adſit uerbum uiuificum ineffabiliter, nemo tamen dicat quod ſit adorandum, etiamſi uenerandum. Id collige ex Chryſoſtomo hom. 2. in 2. ad Corinth. dicente. Si tu hoc altare honoras, quia ſuſcipit corpus Chriſti, cur pauperem, qui eſt ipſū Chriſti corpꝰ fame perire ſinis? hæc ille. Quid eſt obſecro

Omnis caro eſt corpus non contra. Proinde idē eſt ſiue dicas. Hoc eſt corpus meum aut, hoc eſt caro mea, ſic .n. loquitur Cyp. de cœna.

Sacramētū nō eſt adorandū, ſed uenerādū.

quod vocat Euchariſtiam corpus Chriſti ſine epitheto, pauperem vero fidelem cũ hac adiectione ipſum Chriſti corpus? Nónne quia iſtud eſt in actu corpus, illud nomine & potentia tantum ſiue virtute, vtrunque per gratiam? Si proinde iſtud non eſt adorandum, profecto nec illud. Non enim quicquid diuinum eſt, aut Deum in ſe habet per gratiam, etiam ſicuti Deus adorandum eſt. Licet Deus in illo ſit (fateor) adorandus. Sic enim affirmat Auguſtinus de ciuita. Dei lib. 10. cap. 4. Huic uni Deo, inquit, nos ſeruitutem quæ latria dicitur ſiue in quibuſque ſacramentis ſiue in nobis ipſis debemus, cuius templũ ſinguli ſumus. Percipis lector quod ut Chriſtus inquantum homo, non eſt in nobis, ita nec in ſacramento? Deinde ut nos non ſumus adorandi, ita nec ſacramentum: ſed ut Deus in nobis adoratur, ita & in ſacramento, ſoluant obſecro hoc argumentum in Auguſtino ipſi Pontificij. Aderat diuinæ Arcæ Iſraelitis ipſe Deus & de Propitiatorio inter duos Cherubos Arcæ oraculi impoſito omnia ad Moyſen effabatur, tantaque præſentiæ diuinæ relucebat maieſtas, ut multis paſſibus ab arca arcerentur Iſraelitæ, & Oza arcam agitatione boum nutantem manu ſuſtinere adnitens nõ ſacrata, percutitur à Domino, ſed quid? an propterea Arca adoratur, aut tranſubſtantiata prædicatur? An quia Apoſtoli ſpiritu ſancto repleti in die pentecoſtes, & infinitis miraculis conſpicui propterea proponuntur aut ſeſe oſtentant adorãdi? An & diua virgo similiter adoranda, quia ſalutis noſtrę pretium vtero incluſum continebat? an etiam tu teipſum adorabis aut adorandus in plateas exibis, quia ſacramentum quod adorandum dicis aut eo vaſculo receptum, poſt illius ſumptionem pectore incluſum digeris, ſed quis ferat eiuſmodi dogma? Audiamus ergo Auguſtinum ſanius loquentem lib. 3. cap. 9. de doct. chr. Qui (inquit) adorat

vtile

vtile ſignum diuinitùs inſtitutum, cuius vim ſignificationemq́; intelligit, non hoc veneratur quod videtur & tranſit, ſed illud potius quò talia cuncta referenda ſunt, ſicuti ſacramentum Baptiſmi, & celebratio corporis & ſanguinis Domini, quæ ſacramenta quò ferantur imbutus agnoſcit, vt ea non carnali ſeruitute, ſed potius ſpirituali libertate veneretur, &c. Quid obſecro hîc reſpondebunt Pontificij, Súntne plura inſtituta à Deo quàm duo? nónne præterea carnali ſeruitute cogunt adorare Sacramentum cùm accenſis tædis & poplite flexo ante illa procumbunt, & eum qui pro ſua libertate, quam illi tribuit Auguſtinus, procumbere nollet, viuum exurunt? vnde egregiam laudem & ſpolia ampla ſcilicet olim referent. Præterea ſi panis Euchariſtiæ eſt adorandus, cur non & aqua Baptiſmi? non enim minus eſt Chriſtus in Baptiſmo, quàm in Euchariſtia, verùm per diuinitatem, non humanitatem. Vnde in Matth. Chryſoſtom. Non baptizaris ab homine, Deus eſt qui tenet caput tuum. Hinc eſt quòd idem in Marcum iubet nos adorare Chriſtum in Baptiſmo. Redeamus ad Auguſtinum, qui Quò ferantur, inquit, ſacramenta, imbutus agnoſcit: quaſi dicat, Sacramenta viſibilia nos ad inuiſibilia remittunt. Illa proinde ſpirituali libertate veneramur, at iſta proni ex officio Chriſtiano adoramus. Hęc omnia pulchrè explicat Rabanus ille Maurus, Archiepiſ. quondã (vt opinor) Maguntinen. in eo libro quem de Euchariſtia ante octingentos ferè annos edidit dicens, Si rectè communicamus, ad Pontificem noſtrum Ieſum Chriſtum qui in cœlo eſt (non ergo eum agnoſcit in pane) mentem dirigimus, vt ex ipſo & ab ipſo, nos qui ſumus corpus eius, carnem ſuſcipiamus ipſo manente integro. Et quia eum in cœlum ſecundum carnem aſcendere oportuit, reliquit nobis hoc ſacramentum viſibilẽ figuram & characterem carnis & ſan-

Sacramenta nõ honoranda carnali ſeruitute, cõtra Pontificios.

Si rectè cõmunicamus, ad Chriſtum, qui in cœlo eſt, mentem erigere debemus.

guinis, vt per hæc ad ſpiritualia & inuiſibilia capeſſenda mens vberius nutriatur. Nam illa natiuitas noſtra quæ ex Deo eſt, vtiq; ſpiritualis eſt, & ideò hæc myſteria non carnalia (licet caro & ſanguis) ſed ſpiritualia, iure credenda ſunt. Vnde longè inferius vita iſta temporalis corporeo iſto communi alitur cibo, longè verò excelſius ac præeminentius vita illa quę abſconſa eſt cũ Deo qua conformes illi & configurati ſumus, illo ſaginatur cibo ac potu, quem & de Scripturis (nota) & de altari ſumimus, vt ibi viuamus exinde, vnde vita noſtra ſeruatur æterna: ac proinde qui ſic accipit, dignè accipit. Vbi enim ſpiritualis eſca ac potus ſumitur, & Spiritus ſanctus per eum in homine operatur, ſi quid in nobis carnale adhuc eſt, transfertur in ſpiritum, & fit homo ſpiritualis. Hactenus Rabanus pulcherrimè, in quo notas opinor, amice Lector, quòd ſi rectè cõmunicamus, ad Christum ſurſum mentem dirigere debemus, quia nimirùm eum realiter eſſe in pane non credimus, non quòd nihil ſit in pane verbi viuifici & ſpiritualis alimoniæ, ſed quia quicquid ineſt quod ineſt, & in nos & in panem à ſancta Chriſti carne defluere debeat, veluti lumen à Sole, vt dicemus ex Cyrillo. Iſraelitæ olim non poterant intueri in faciem Moſis, nec illius ferre ſplendorem, proinde velauit ſe Moſes, & ſic tum loquutus eſt, tum apparuit illis. Nos quoque vt poſſimus cum fructu & ſalute animæ intueri, & ferre præſentiã maieſtatis diuinæ, ne nos exurat & perdat, neceſſe eſt vt fide intuentes in cœlum, Ieſum Chriſtum pro velo interponamus inter nos & Deum alioqui tremendum & horrendum, vnde alioqui tremenda & horrenda vocantur ſacramenta. Sic aderit nobis non ignis conſumens, ſed pater benignus. Hoc eſt, quod Auguſtinus pulchrè explicat in hæc verba: Ecce, ait, cibus ſempiternus, ſed quem manducãt angeli, manducant ſempiternæ virtutes,

Sacramentum eſt uiſibilis character carnis & ſanguinis Chriſti.

Et de Scripturis & de altari ſumimus eucharistiam.

Verbum Dei æternum, quo in ſacramento ſpiritualiter alimur, & in nos & in panẽ à ſancta Chriſti carne deflue re debet ueluti lumen à Sole.

tes, manducant & saginantur, & integrum manet quod eos satiat & lætificat. Quis autem homo posset peruenire ad illum cibum? vnde cor idoneum illi cibo? Oportebat ergo vt mensa illa lactesceret, vt paruulis proueniret. Vnde fit cibus lac? vnde cibus in lac conuertitur, nisi per carnem traijciatur? nam mater hoc facit, quod manducat mater, hoc manducat infans. Sed quia infans est minus idoneus qui pane vescatur, ipsum panem mater incarnat, & per humiditatem mamillæ de ipso succo pascit infantem. Quomodo ergo de ipso pane Angelorum pascit nos sapientia Dei? Quia Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, hæc Augustinus. Hinc intelligis, opinor, quomodo à Christo veluti maternis mamillis defluit in nos panis Angelorum, & sic verbum in nobis fit caro per habitationis gratiam, non per illam vnionem admirabilem & hypostaticam quæ facta est in Christo in Mariæ virginis vtero benedicto. Quoniam ergo hoc verbum viuificum, quod in solo Christo filio Dei corporaliter habitat, à sancta carne Christi, quæ totam viuificandi vim hausit, & in sacramenta, & in nos defluere debet: Non mirùm si apposite dixit Raban. & Augustin. quòd si rectè communicamus, ad Christum, qui in cœlo est, mentem dirigere debemus, vt ex ipsius sinu æternũ verbum exugamus. Proinde sicuti hęc diuinitas est quę in Christo corporaliter habitans, & hypostaticè ineffabiliterq; illi vnita, Christũ facit Deum absolutè semper salua hominis proprietate & natura, ita illa eadẽ miro modo de plenitudine sanctę carnis Christi aut in nos aut in panẽ cœnę dominicæ infusa, ꝓpter fidem & verbũ Dei, facit panem & nos diuinos quidẽ sed non simpliciter deos, quia per gratiam & per mensurã, item & Christos, at nec id simpliciter, sed panẽ ꝑ potentiam & virtutem, nos verò actu tales, de quib. dicitur: Nolite tãgere Christos meos.

Quomodo homo fit diuinitatis particeps.

Verbum æternũ quotidie defluens in nos à Christo, ueluti à mamillis fit caro per habitationis gratiã.

Duæ in Christo naturæ semper manent saluæ, & non confusæ.

Hinc etiam sequitur, quòd sicuti nec nostra, ita nec caro sacramẽti est naturalis caro Christi, licet specie & natura sit illi similis. Hoc est quod volunt Patres, Cyrillus & Irenæus, cùm dicunt non solùm voluntate, sed etiam naturali participatione carnis Christo nos vniri, quia nimirùm eiusdem naturæ carnem comedimus in Sacramento. Nam si ipsissima est caro Christi quam sumimus in Sacramento cum sua anima (vt vult Thomas) quæ carnis nostræ substantiam fulcit, auget, & nutrit, quomodo verum erit quod dicit Cyprianus Tractatu de Cœna? Panem, inquit, Angelorum manducamus sub sacramento in terris, eundem sed sine sacramento manducabimus in cœlis. Rogo igitur Pontificios, nónne post resurrectionem habebimus os, & dentes, ventrem & pectus? Fatebuntur sat scio, cogente eos ad id Augustino. Quid ergo? comedemúsne adhuc & tunc Christum ore, & visibiliter eum in nostrum stomachum demittemus, licet sine sacramento aut accidentibus panis? quò (vos oro) vertetis, vt respondeatis? Verùm conniueamus ad tantam absurditatem, & dicamus cum Origene, quod tunc in cœlo mãducabimus pascha plenum, cùm perfundemur diuinitate foris & intus ad satietatem (vt ita dicam) id quod nunc quoq; fit in accipiendo sacramento, licet parcius ob fidei nostræ parcitatem. Tunc igitur saturabimur, cùm corpus Christi gloriosum, quod hîc fide aspicimus, & spiritualiter tantùm manducamus, admonente nos Sacramento, post mortem nostro defuncti sacerdotio (ait Cyprianus) aspiciemus sine vllo velamento, pleni gaudio inexplicabili, quamobrẽ dicebat Dauid, Satiabor cùm apparuerit gloria tua. Sed redeamus ad Rabanũ, qui dicit, quòd quia oportuit Christum secundum carnem ascendere in cœlum, reliquit nobis hoc Sacramentum pro visibili signo, charactere, siue imagine suæ carnis. Hoc est quod

Carnaliter dicimur uniri Christo, quia eiusdẽ naturæ carnem participamus in sac.

Panem Angelorum manducamus in terris, eundẽ manducabimus in cœlis.

quod dicebat Chrysostomus: quòd licet Christus ascendens carnem suam secum euexit, carnem nihilominus, hoc est imaginem suæ carnis retrò post se reliquit, in sacramento, nimirùm intelligibiliter, & in quolibet homine fideli, qui os habet & carnem de ossibus & carne Christi visibiliter. Vnde dicitur, & est corpus Christi, quem qui comederet, comederet reuera corpus Christi, sed an propterea Christum ipsum? minimè profectò, sed comederet corporis Christi imaginem. Quòd autem res ita se habeat, audi quid dicat venerabilis ille Beda in Luc. Finitis (ait) veteris paschæ solennijs transit ad nouum pascha, & pro carne agni vel sanguine, carnis suæ sanguinisq; sacramentum in panis ac vini figura substituit. Hæc ille, & audisne quòd caro illa quam Dominus dat in siue sub figura panis sit sacramentum siue imago carnis Christi? Accipe idipsum approbantem Magnum illum Naz. Comedimus hodie etiam agnum, inquit, sed adhuc sub figura, licet hic noster manifestior sit. Nam qui sub lege erat, figura erat huius figuræ. Hęc omnia subtilius eruere poteris ex August. lib. Sent. Prosp. & citatur de Cons. dist. 2. Caro Christi est, quam sub panis specie opertam in sacramento accipimus, & sanguis eius quē sub vini sapore potamus. Hæc ille, qui optimè facit cum Pontificijs cùm dicit, quòd illa caro quæ operta est forma siue specie, aut (quod idem est) accidentib. panis sit caro Christi. Fatendũ est igitur quòd latet aliqua caro sub accidentib. panis, & sanguis sub accidentib. vini. Sed antea probauimus, ꝙ illa caro non sit actu, sed potentia, deinde ꝙ non sit ipsissima numero caro D. Iesu Christi, sed specie illiusq; imago, nõ visibilis, sed intelligibilis: restat vt hoc ꝓbemus. Audi ergo q̃d sequatur eodẽ loco in Aug. Caro, inquit, illa, quã opertam specie panis dicimus, sacramentum siue figura est carnis, & sanguis sacramẽtum est siue imago sangui-

Caro quæ nobis datur in figura panis, est sacramentũ seu figura carnis Christi.

nis. Hæc August. Verùm dices, cuius carnis est imago? subijcit August. Vtroq;, inquit, inuisibili, intelligibili, spirituali, signatur visibilis, & tangibilis caro D. Iesu C. Audis lector? Sed iterum dices: Demus, sitq; figura, est tamen & veritas. Fateor id ego quoq;, modò des quod non sit omnimoda identitas. Sic est quidem caro Christi, sed virtute siue potentia, non actu (nam talis nutritione euadit) similitudine non vera & simplici identitate, imagine non omnimoda veritate. Testatur hoc ipsum D. Ambr. 4. Off. c. 46. Offertur hîc Christus, inquit, ad altare in imagine, illic in cœlo in veritate, vbi ipse est ordinatus pro nobis intercessor apud Patrem. Hæc ille, & miror an hîc habēt Pontificij cōmentum, miror quid de Missa sua faciēt. Offertur hîc Christus (inquit Amb.) ad altare, ergo est adorandus, dicet statim Pontificius. At modestè audi quid sequitur, sed in imagine. Ipse enim Christus est in cœlo, qui seipsum offert pro nobis in veritate. Vides Lector Eucharistiā esse Christum quidem sed in imagine intelligibili, nō omnimoda veritate? Accipe familiare exemplum vt melius intelligas (vulgo.n. loquor, nō doctis ipse indoctus.) Accipiat sacerdos infantem iam iam baptizatum & nudum, efferatq; eum ad altare supra humeros & caput, & dicat Deo Patri, Suscipe sancte pater corpus hoc filij tui. Certè nō mentietur. Est enim infans ille verum corpus Iesu Christi, & quem dicere possis iure adoptionis esse Christū. At obsecro, nónne meritò cōspuendus esset sacerdos ille, qui eum puerū & proponeret & contenderet adorandum? Nemo negat opinor, sed quare? (petit aliquis) respōdet prudētior, quia etsi sit Christus, gratia est Christus, non natura, etsi sit vera caro Christi in imagine, tamen non veritate, etsi sit Deus, participatione tamē, non essentia. Sed vt nostræ assertioni maius addamus pondus, audiamus quid Gregor. ille Neocæsariensis totius Asię fidem de

Caro quæ sub forma panis intelligibiliter et inuisibiliter tegitur, est figura carnis & ueritas, sed nō est omnimoda identitas.

Similitudo apta, qua ostenditur quòd realiter Christus non offeratur in missa.

de Sacramento prodens, dicat in Concilio Constant. 7. Exultent & lætentur quicunque veram Christi imaginem syncera mente facientes desiderāt, & venerantur, & ad salutem animi & corporis adferunt, quam ipse dominus noster summus sacerdos ex nobis integrè massam assumens circa passionis tempus in typum & recordationem efficacissimam suis mystis tradidit. Nam cùm se morti offerret, gloriosæ inquam illi & viuificanti, accepit panem, benedixit, postquam gratias egisset & fregit, tradensq; discipulis dixit, Accipite & manducate in remissionem peccatorum, hoc est meum corpus. Similiter & calicē tradens, Hic est sanguis meus, facite in mei memoriam. Ecce illius viuificantis corporis imaginem. Panem igitur Eucharistiæ veluti veram imaginem naturalis carnis Christi per sancti Spiritus aggressionem sanctificatam diuinum corpus esse voluit, illiq; sic placuit. Cæterùm animata caro Domini diuinitati iuncta est. Eodem modo & ab eo tradita imago eius carnis impleta est Spiritu sancto cum poculo quoque sanguinis viuificantis. Hactenus Gregorius, cui si mentem adhibere volumus, facilè omnem de Eucharistiæ mysterio difficultatem enodabimus. Notet igitur eum pius & verus Christianus, quoniam in hac re veram doctrinam adfert, quam & nos (vt vides) tot hactenus Patrum authoritate fulcimus, à qua quisquis dissentit, sit Pontificius, sit (si voles) Euangelicus, sed nomine tantùm à catholica & Apostolica Ecclesia planè dissentit, nisi magnoperè fallor. Nam quid habent obsecro, quod in illo reprehendant Pontificij, nimirùm quòd vocauerit panem Eucharistiæ imaginem naturalis carnis Christi, & tamen nihil habet simile carni? At nō notas quòd dicit Veluti vera imago? Siquidem nónne vt exposuimus antea ex alio Gr. Nyss. qui panem videt, quodāmodo videt

Panis Eucharistiæ est ueluti uera imago naturalis carnis Christi.

corpus humanum, quia panis in corpore existens fit caro & trāsit in corpus. Est igitur imago, intelligibilis scilicet, non lineamentis membrorum insignis, ut etiā dicit Epiphanius, est inquā imago, signū siue character naturalis carnis Christi, interim non nuda imago, sed impleta spiritu sancto & caro diuina (vt ait.) Cui cōsentit Gelasius aduersus Eutychem dicens, Sacramēta quę sumimus res diuina sunt, substātia tamē panis minimè in ijs esse desinit, sed transit in diuinam domino adiuuante naturā. Cæterum imago atq; similitudo carnis Christi in actione mysteriorū celebratur. hęc Gelasius. quem non vides vel latum vnguem à Neocæsariensi discedere. Eucharistia (inquit) est res diuina, substantia panis in eo manēte. ergo audacter infer lector Christiane, eucharistia nō est deus: proinde nec Christus, & sic nec adoranda. Sed pergamus in Neocæs. vbi dicit, Imago est naturalis carnis Christi impleta spiritu sancto: ne igitur qs propterea putaret esse Christi naturale corp⁹, addit. Cæterū animata caro domini diuinitati iuncta est: quasi differentiā ponens inter carnem sacramenti & carnē veram & naturalem Christi, dicit. Caro Christi animata, coniuncta est in cœlo hypostaticeq; vnita diuinitati: at caro sacramenti etsi habet diuinitatem coniunctam per habitationis ineffabilem gratiam, animata tamen non est, actionibusq; animalibus perficiendis idonea, ne in impiam illam & sceleratam de manducando homine opinionem incidas. Propterea cautè dicebat Cyrillus ad Calos. Infudit Deus pani & vino vim vitæ, eaque conuertit in veritatem propriæ carnis, vt semen quoddam viuificatiuum inueniatur in nobis.

Eucharistia est res diuina, ergo bene infertur nō est Deus proinde nec Christus, sic nec adoranda.

Vbi diligenter nota Lector, quòd Cyrillus vocat Eucharistiam semen vitæ, siue semen viuificatiuum. Et, bone Deus, quantum hîc mysterium? Nónne proinde sequitur, est semen arboris, ergo non est ipsa arbor, vnde deci

Eucharistia est ueluti quoddā semen uiuificatiuum.

decidit semen istud? deinde est semē arboris, ergo habet in se indolem quandam, vim, & energiam sui parentis? est semen, ergo si vis, vt sit arbor debet mandari terræ, terræ mandatum debet irrigari, debet multa sollicitudine & seruari & excoli? Transfer hæc ad Eucharistiam, & collige an non hactenus cum ignauia atque inscitia intoleranda est à Pontificijs illis philosophatum. An non tales Agricolæ merito fame mortui sunt, quod granum frumenti quod acceperunt à Deo sub specie Eucharistiæ, arbitrati sunt esse perfectam aristam, & contēti visu, nec mandarunt terrę, nec excoluerunt sollicitè, vt suo tempore inde fructum sibi & Domino ferrent cum patientia? hoc erat mysterium quod occultabat Gregorius Neocæsariensis cùm dicebat in supradicto capite. Gaudeant quicunque veram Christi imaginem facientes: hæc ille. Quid ô Gregori, nondum est igitur facta imago, nondum est illa Christus, nondum excreuit semen illud in sinapi? minime. Audi Christum: accipe, manduca, quasi dicat: hæc est mei indoles, hoc semen me repræsentat. Restat vt illud manduces, restat vt terræ committas, vt verbi Dei semen hoc in corde recondas, quò primum spei calore in chylum vertatur, deinde per multas ambages & circuitus angustiasque venarū mesaraicarum veluti hyemalium tribulationum & tempestatum in hepar attractum & in auram suppullulans protrudente illud concoquenteque fidei calore in sanguinem facessat, vt tandem persequente suum foetum tepente humiditate charitatis veluti rore quodā cœlesti in perfectionem carnis assurgat, & perfecti hominis formam repræsentet. Cuius videndi desiderio suspirabat quondam, secundarius ille & à Deo substitutus Agricola Paulus cùm diceret. Filioli quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus. Ecce: haud dubie sæpe Paulus distribuebat, Galatis, Romanis,

Christiani omnes quomodo tenentur facere Eucharistiā.

Corinthijs Eucharistiam, sæpe dispergebat verbum Dei quod est quædam altera Eucharistia & caro Christi. Sed tamen non erat adhuc perfecta & actu caro, verum debebat in ipsis formari & in formam carnis & perfecti hominis cōuerti. Huc opinor respiciebat Hieronymus in cap. 3. Zoph. dicens. Impie agunt in Christum putantes Eucharistiam imprecantis verba facere non vitam: quasi dicat, bene precaris pro semine verbi Dei & impetras, nā en tibi illud in Eucharistia, sed nondū est arbor illa, cuius folium non decidet nisi bene viuēdo excultū in arborem excrescat. Quocirca vt paucis totum de sacramento conciliemus negotiū, diligenter animaduertendū, quod aliud sit sumere carnem Christi quæ fit ex pane & vino, aliud carnē Christi manducare, quæ est in cœlo. Siquidē hæc mādučatur sola fide vt ostendim⁹, ad recordationē mortis quā Christus passus est in ea carne, ad æmulationē virtutū quas in Christo cōtemplamur, deniq; ad immolationē spiritualē pro impetranda nostri apud patrē reconciliatione. At caro sacramenti, quę etiā carne spirituali Christi perfusa est, & quæ à palpabili carne Christi in panē defluxit, & ore & fide suscipitur, licet non tā ad corporis quam animæ nutritionē, & potius ad fidei & charitatis quàm ad ossium incrementū. Præterea caro siue corpus Christi quod in cœlo est, animatum est, nec descendit in panē tēpore cœnę, vt ex Damasceno & Neocæsariensi nostro probauimus, deinde veris membrorū liniamētis distinctū est, & potens proprios motus exercere. At caro quę quotidie ex pane & vino creatur, & de altari à fidelibus sumitur, natura quidē est similis carni illi, quā habet Christus in cœlo, viuifica nimirū ratione viuificātis diuinitatis, quæ sese in panē infudit & cōmiscuit ineffabili modo, interea potētia tātū homo est nō actu, virtute caro, nō formaliter, & deniq; diuina quidē caro, sed nō Deus. Ex quib. omnib. iā suf-

Verbū Dei nobis in ecclesia prædicatū est & dicitur caro Christi Origeni.

Aliter manducatur caro Christi quæ in cœlo est palpabilis illa, aliter caro Sacramēti intelligibilis.

sufficiẽter probatis,poterit forsitã redargui D.Zuinglij de sacramẽto doctrina,quæ nõ tantũ illi tribuit quantũ debet.Poterit reprehẽdi quoq; & Augustana quã vocãt cõfessio, quæ ita substantiã carnis Christi in sacramẽtũ stabilit vt inde inferat ꝙ cum pane adsit Christus verus Deus & homo. Verùm hic illorum error hinc(opinor) ortus est,quod initio seipsos maluerunt sequi quàm Patres,à quibus facile didicissent,quod ratione verbi viuifici mirabiliter vniti cum pane, panis substantia transit in naturam carnis Christi,quæ substantia non est illa eadem numero & dignitate par cum ea,quam habet Christus in cœlo,sed specie eadem. Quod si hac similitudine vti licet pro stabiliendis Patrum dictis: Nonne ouũ est imago quædam gallinæ,& qui videt ouum intellectu videt gallinam? Nemo tamen dicat ouum esse gallinã ipsam,quæ ouum posuit. Deinde etsi gallina sit in ouo substantialiter & virtute, non tamen actu & formaliter. Præterea nec substantia gallinæ eadem est numero cum substantia oui,licet specie non differat. Et quid nunc habent quod vel ipsi vel Pontificij respondeant, qui immaniter prætento igne & ferro exigunt ab hominibus vt credant quod cum pane vel sub accidentibus panis sit Christus,qui manducatur tã ab infidelib. quã fidelibus? Id quod antea ex Orige. in Matth. probauimꝰ esse falsum,cuius verba non pigebit iterum repetere. Substantia panis Domini,inquit,non prodest:abit.n. in ventrẽ & per ventrem recedit,sed verbũ illi additũ prodest vnicuiq; iuxta portionem fidei,hæc autẽ dicta sint de pane,inquit,typico & symbolico. Vnde percipis (lector)eũ vocare Eucharistiã corpꝰ Christi symbolicũ & typicũ,quod & boni & mali comedũt,sed ratione & vtilitate dispari. Quia.n. mali habẽt quandã fidẽ,comedũt sacramentũ ad aliquod bonũ vitę tẽporalis, sed qa non diligũt Christũ imitãdo, quẽ credũt incarnatũ,quondã

Zuinglij & Augustana cõfessio aliqua reprehensione digna.

Exemplum ab ouo docẽs substantiã panis sacramẽtalis nõ esse eandẽ numero cũ substãtia carnis Christi in cœlo.

Mali nõ comedunt corpus Christi uerum sed typicum tãtum.

mortuum,& nunc in cœlo gloriosum,quia inquam nō ea fide quæ diligit sic eum comedunt, propterea nihil illis prodest sacramenti comestio ad vitam ęternam. Inde nec mali multò minus infideles dicunt comedere corpus Christi. De malis constat ex sequentibus verbis Origenis. Nam cùm vellet typicum corpus Christi secernere à vero,quod est in cœlo non in sacramento,subdit. Multa porrò & de ipso Verbo dici possent quod caro factum est, verusque cibus,quem qui comederit,omnino viuet in æternum,quem nullus malus potest edere. Etenim si fieri posset vt qui malus perseuerat,edat verbum factum carnem, quum sit verbum & panis uiuus,nequaquam scriptum fuisset, quisquis ederit panem hunc,uiuet in æternum:hæc Origenes. Cui consentit & Chrysostomus super illud, qui manducat me uiuit propter me. Vitam hoc loco(inquit)non qualēcunque sed probatam dicit,quod inde constat, quod & infideles omnes & non initiati,& qui eius carnem nō manducant, uiuunt tamen. Idem & August. asserit 21. lib. de ciuitate Dei. Infideles scilicet non manducare corpus Christi aut ueritatem sacramenti. Certum est igitur Christum inquantum homo est, à nemine mortalium ore manducari in sacramento, proinde & fœdè eos errare qui id nobis horrenda doctrina persuadere conantur. Aliud esset si postularent ut eum aspiceremus in uerbo(quę Buceri fuit opinio)licet uera ecclesiæ non satisfaciat. Etenim ipsissimus Christus est qui dicit(licet per os ministri)hoc est corpus meum, quare reuera eum fide & mente intueor affixum cruci, morientem, & pro me effundentem proprium sanguinem, hoc enim innuit illud:quod pro uobis datur,qui pro uobis effunditur. Certum est igitur quod Christus omnibus sese offert intuendum in hoc uerbo,hoc est corpus meum. Non tamen qualis est in cœlo, sed qualis est in cruce

Comedere Christū qui in cœlo est,est credere ea fide quæ eū imitatur & per dilectionem operatur.

Buceri opinio de Sacramento sana quidē sed non sufficiens.

cruce, moriens scilicet pro implenda iustitia Patris, & sanguinem fundens pro remissione peccatorum. Et poterant certè talem eum intueri in mente ipsi Apostoli, quibus antea dixerat, Ecce ascendimus Hierosolymam & filius hominis tradetur & crucifigetur, proinde cùm in tam miserabili casu versaretur in animis Apostolorum dicebat accepto pane, ecce illius corporis quod veluti in cruce affixum animo intuemini, symbolum, figuram, seu imaginem. Si quis est igitur, qui sic eum intuens credit in eum, & pertæsus suæ sceleratæ vitæ, dolet de sua inobediẽtia, ob quam scit filium Dei pati, si quis est qui carnis suæ impudicitiam detestatur & fœditatẽ, appetitque simisem carnem illi quam in Christo contemplatur, pœnitet quod amiserit præsentiæ diuinæ solatium & gratiam, vellet quoq; sibi restitui spiritum sanctum, admoueat manum ad sacramentum, & illud mãducet ore & corde. Sic enim & in carnem corpusque excrescet illi simile, quale Christi est particepsq́; erit diuinitatis & spiritus sancti, corporis siue carnis & sanguinis domini. Sic sicuti non nuda symbola carnis & sanguinis Christi accipiet, ita non ipsissimam carnem, & sãguinem Christi, quam fide intuetur & contemplatione in stomachum detrudet. Valeant proinde qui hoc horrendum dogma adferunt in ecclesiam, valeant & qui sacramenta tam parui æstimant, vt in ea nec mirabiliter præsentem diuinitatem agnoscant, nec operantem spiritum sanctum suscipiant. Scio doctissimum Oecolampadiũ in ea non fuisse opinione: cuius verba sane pia & catholica postea apponã. Scio & P. Martyrem in suis scriptis latentẽ in Eucharistia diuinam virtutem agnouisse, & in eo præsertim libello quem de Eucharistia edidit ad Archiepiscopum Cantuariensem, cuius hæc sunt verba. Non mihi magnopere placet (inquit) quod nostri tam paruam faciunt mentionem mutationis panis

Oecolãpadius Petrus Martyr Theodorus Beza agnoscunt præsentiã diuinitatis in Sacramento.

& vini, ad quam Patres diligenter respiciunt, nec eam dedignantur scripturæ, cùm Paulus vocet sacramenta nō simpliciter panem, sed panem Domini. Est .n. in eis virtus quædam latens quam non habent ex sese, sed ex institutione Domini, tum ex virtute spiritus sancti, tum & ex verborum prolatorum efficacia. hæc ille. Nec potuisset Augustinus multò plura aut augustiora de sacramēto dixisse. Iam scio quoq; & his posteriorem licet eruditione non imparem (si recte iudico) Theodorum Bezam idem forte sentire, cuius hæc sunt verba aduersus Vestphalum virum quendam doctum. Augustinus satis iudicat absentiam veræ carnis Christi à sacramento, licet spiritu præsens sit in verbo (inquit). En & diuinitatem & spiritum sanctum fatetur cum pane. Restaret tātum (cum venia dico) vt consentiant ad pacem ecclesię cū antiquitate, & ad reuerentiam religionis circa sacramenta, vt in catechismus doceāt, quomodo ipsa diuina maiestas ineffabili modo (ait Cyprianus) sese infundat sacramentis, quomodo ibi reuera adsit nō per generalē diuinitatis præsentiam tantū, sed (operāte id Spiritu S.) per specialē, & admirabilē habitationis gratiā, vt ait Au. Cuius ratione, panis altaris potētia alioqui caro, transit in naturā carnis Christi, non tā corporali, quā spirituali transitione, vnde panis fit substātia corporis siue carnis Christi. hæc omnia cōcinne breuiterq; sed paulo intricatius asseruisse videtur cōfessio Augustana, quæ dicit, quod Cœna Domini est cōmunicatio corporis & sanguinis Christi, in qua Christus vere & substantialiter adest, & (vt Melanthon in Apologia explicat) nō solū efficacia, sed etiā substantia. Verè nanq; adest, vt ego (pace illorū) explico, ipse Christus per verbū viuificū, & per diuinitatis substantiā, à quo non abest spiritus eius. Huius diuinitatis mirabiliter præsentis ratione, fit vt panis ipse altaris, qui ante verba Domini indeterminatæ speciei

Videtur confessio Augustana meliꝰ definiisse quid esset Eucharistia quàm explicasse.

corpus siue caro erat, fiat substantia corporis seu carnis Christi, mirabili quadã, quia spirituali mutatione. Vnde etiã Christus adest substantialiter, hoc est per eiúdẽ nõ numeri, sed specici substantiã, si carnẽ spectes, alioqui re uera per eandẽ substantíam diuinitatis & spiritus, cuius respectu ecclesia verũ corpus Christi est, & Christus ipsum caput. Sic (si illorũ mentẽ assequor) nõ ipsum Christum (qui in cœlo tantum est, saltẽ in vno loco cœli, vt homo) ponunt localiter in sacramento, sed tacitè cum Epiphanio gratiã corporis Christi in Eucharistia annuntiant, quã nomine tantum si corpus naturale spectes, & re si corpus Christi mysticum intuearis, appellãt carnẽ Christi, quæ potẽtia interim caro eius est non actu, gratia non natura, ex pane & vino futura in nobis, non realiter, immediatè, & simpliciter ex Virginis Mariæ benedicto sanguine. Hinc fit vt ingens hoc munus Christi & visibile beneficiũ, nec adorẽt aut adorari velint, sed illũ à quo hoc donũ habent prono, & corpore, & mente in cœlo gloriosum, cũ Patre & spiritu sancto Iesum Christũ, hunc totius mundi creatorem, illud creaturã confitentes. Quod autẽ Eucharistia sit creatura asseritur etiã ex Cyp. his verbis. Dominus quotidie hoc suũ sanctissimũ corpus creat, sanctificat, & piè sumentib. distribuit &c. Consentit illi & Nazianzenus ille sanctissimus Episcopus inclamãs his verbis. O incruenta mittẽtes sacrificia sacerdotes. O magni figmentũ dei in manib. vestris tenentes. En sacramentũ magni figmentũ Dei siue creaturã appellat. Sic Amb. de sac. lib. 4. c. 3. Venisti, inquit, ad altare & ipsã miratus es creaturã? creatura tamen solẽnis. Iterum vocat Eucharistiã creaturã, licet solemnẽ, qualis reuera est. Si quando autẽ Patres dicunt ꝙ sacerdotes Deum manibus tenent, hoc vt uerum est, ita ad diuinitatem uere & ineffabiliter præsentẽ respicientes quodãmodo uerè dicũt, non respectu Christi hominis.

Eucharistia est creatura solennis tamen.

Collige hoc ex Ambrosio cùm dicit de benedictionibus Patriarcharum super illud: panem nostrum quotidianum. hodie, inquit, dat nobis hunc panem, quē ipse sacerdos cōficit proprijs Christi verbis. Possum⁹ & ipsū Dominum accipere, qui ait, Ego sum panis vitę. hęc ille, & non animaduertis quod sacramentum non sit Dominus noster Christus, sed (ut vocat Paulus) panis Domini. Vides quoque quod licet Eucharistia habeat sibi coniunctam deitatem, non est tamen Deus, aut Dominus Iesus Christus, qui certe vt Deus tangi potest quodammodo, vt homo verò in terra non potest, vnde Bernardus sermone super illud. Missus est Gabriel. hæc est, ait, cumulata gratia, sacerdotem, Deum sua manu tenere, & alijs dando porrigere. hæc ille, qui nisi intelligatur, vt dixi, turpiter alias sibi contradiceret, dicit enim super Cantica cant. Quasi vero, inquit, Christus cum iam ascenderit in cœlum, tangi, aut velit, aut possit, & vtique poterit, sed affectu non manu, voto non oculo, fide non sensibus. Idem dicit Ambrosius lib. de sacram. Quoniam (ait) idem Dominus noster Iesus Christus cōsors est diuinitatis & corporis, tu qui sumis panem diuinæ eius substantiæ, in illo participaris alimento. Sic Hieronymus ad Edibiam. Panis (ait) quē fregit Dominus discipulis, corpus eius est quod de cœlo descendit. Concludit Augustinus in psalmum 75. Si Domini corpus (ait) iaceret hic in terra, vndequaque conueniremus cum muneribus, nunc autem ascendit & sursum est, veritas autem in medio nostrum cuius sumus participes, huic offeramus munera, humilitatē scilicet. hæc ille. Miror rursus quid ad hæc Pontificij, qui miserabili orbi persuadent hactenus, quod Eucharistia sit Christus ipsemet qui pepēdit in cruce, & quod eius propriū corpus ore sumatur, quod Augustinus hic asserit non esse in terra, aut nobiscum, sed sursum. Apposite igitur

Eucharistia Diuina, sed non Dominus.

respondit

respondit Augustinus, intuens diuinitatem & Spiritus sancti gratiam, quæ nobis realiter offeruntur cum pane, respōdit, inquam, quærenti in sermone de Baptismo & dicenti: Si Christus ascendit in coelum, & adhuc ibi est, quomodo est hic panis altaris caro eius? Amice & frater, inquit, ista ideo dicuntur Sacramenta, quia aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur, speciem habet corporalem (nota, nō dicit habet speciem aut accidentia corporis, quod intelligitur, fructum habet spiritualem. Et quis est ille fructus, ô Augustine, qui etiam dicitur suo modo corpus. Respondet: Vnitas, pietas, veritas, charitas, corpus Christi. Si igitur tu, ô amice lector, vis comedere corpus Christi, esto corpus Christi (inquit Augustinus) nam ad eos tantùm pertinet qui corpus Christi sunt. Si es verum corpus Christi, cùm corpus (de spirituali loquor) illud constet vnitate, pietate, veritate, charitate, ergo es in vnitate fidei cum ecclesia, in charitate cum proximo, in pietate cum parentibus, in veritate quoad dicta & facta confirmatus. Sed forsitan hæc membra sunt adhuc in te imbecillia, adhuc crescunt, nec in virile adhuc robur excreuerunt. Accipe igitur in Sacramento carnem pietatis, veritatis, charitatis, quæ hanc tuam carnem & solidet & augeat. Nec te offendat quòd ista caro vocentur. Nam si Paulus, cùm dicit: Mortificate membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, idolatriam, mēdacium, odium, vocat talia carnem, dicens ad Romanos, Scientes, quoniam vetus homo noster crucifixus est, vt destruatur caro peccati, si, inquam, nos iubet talem carnem exuere, ea exuta, quænam est illa quæ succedet, nónne caro Christi inuisibilis, æternum verbum nimirùm & Spiritus sanctus? Quòd si corporis peccati membra sunt, dissidiū, odium mendacium, fornicatio, nónne huius corporis Christi spiritualia membra erunt, vnitas, pietas, veritas, chari-

Sacramenta quæ uidentur, speciem habēt corporalem.

tas? Cùm ergo caro Christi, quæ latet in pane, spiritualis sit (vt audis) non adferas mihi solùm os carnale ad manducandum, sed fidei in Christum robur ad masticandum. Non prætendas mihi appetitum stomachi ad digerēdum, sed dilectionem cordis ad concoquendum. Fit namque huius cibi manducatio potius desiderio mentis quàm masticatione oris, animæ appetitu citius quàm stomachi, demulcetque sæpius ventrem esurientium quàm saturorum, & denique, quod mirum est, felicius & efficacius alit ægros quàm sanos. Quamobrem, amicissime Lector, quoniam esus huius carnis desiderium est quoddam manendi in Christo, (ait Cyprianus) manet autem qui illi obedire vult, & obedit quantum potest, ad virtutes illius anhelans, si antequam ad communionem accedas, consultasti cum medico aliquo spirituali, si bene teipsum es contemplatus in lege & vita Domini tanquam in speculo, vt scires & cognosceres quid morbi in te lateret, & tandem hoc eruisti, quòd non manes in Domino, sed in diabolo, cuius opera facis, & cuius tu carnem manducas, quæ est coniuncta morbi tui causa. Proinde es superbus, interim doles & appetis humilitatis gratiam. Es luxui deditus & impudicæ cogitationi, sed hoc animo detestaris, affectans pudicitiæ donum. Es auarus, sed hoc te tangit, quòd non es liberalior in pauperes. Es denique ebriosus, sed ebrietas iam est tibi abominationi, & cuperes illi vulneri sobrietatis cataplasma, audi Dominum dicentem, Accipe & manduca corpus meum. Non hæreas in pane quem tangis, sed suscipe primum dilectionis & fidei ore medicum quem audis. Intromitte in animam cibum quem appetis, illinc vulneribus medicinam quam affectas, ea mox & vulnera consolidabit, & morbos effugabit, & peccatorum cicatrices delebit in perpetuum. Vnde iam pernoscis, opinor, commoditatem huius mysterij, & vides quòd ni-

Caro spiritualis Christi, quæ in Eucharistia accipitur, potius manducatur desiderio mentis quā masticatione oris.

Esus carnis spiritualis Christi, quæ cū sacramento unita est, est desiderium quoddam manēdi in Christo.

hil sensibile (vt ait Chrysostom.) expectare aut magnoperè exposcere debeas in hoc sacramento, cùm sola sint omnia intelligibilia, mente potissimùm percipienda. Fis proinde naturalis carnis Christi particeps per hoc sacramentum, non carnem eius naturalem aut tangendo, aut in stomachum admittendo, sed fide ante omnia eliciendo in panē & vinum delapsam à glorioso, quod sursum est, Christi corpore viuifici verbi virtutem. Concludat proinde & probet hoc totum, componátque omnes de Eucharistia controuersias ipse Cyril. sic scribēs ad Cœles. Oportebat, inquit, vt vniretur nobis Christus aliquo modo per suam carnem sacratam, & preciosum sanguinem. Hactenus ille. Doce igitur, ô Cyrille modum hunc. Nam & Pontificij, & nescio qui alij asserunt Christum ipsum, qui pependit in cruce, verè suscipi ore, & in stomachum demitti cum pane, vel in pane, vel sub accidentibus panis. Dic igitur apertè quomodo fiat? Audi quid respondeat Cyrillus, & nota bene amice lector. Fit per benedictionem viuificantem quam accipis in pane & vino. Intelligis? Benedictio, inquit, viuificans, siue (vt aliàs appellat Cyrillus) Viuificum verbum Dei in panem illapsum mirabili modo, eidemq; vnitum vt cera liquefacta alteri ceræ liquefactæ (ait aliàs Cyr.) facit vt panis in dominicæ carnis transeat naturā, vim, & virtutem, quinimò & veritatē. Suscipe igitur Eucharistiā ore, & cautè frangens panem, hoc est humanitatem ipsissimam Christi absentem à Sacramento, à præsente diuinitate intellectu diuidens, introduc, eadem rursus coniungeudo, totum Christum scilicet in animam vera fide, & introductum retine dilectione, & sic coniungeris Christo per carnem vt homini, pariter & per Spiritum sanctum, qui se semper insinuat Christum diligentibus, coniungeris Christo, vt Deo. Hoc est quod dicebat beatus Hilarius,

Illabitur in panē à sacro sursum Christi corpore uiuifici uerbi uirtus, et Spirit. sanctus.

Quomodo cōiungimur Christo per carnē.

quòd tunc demùm vnimur Christo per carnem, quando id quod sumus in Deo est. Non ergo descendit caro Christi in panem, sed verbum de Deo verbo, & virtus illa nos viuificans à sancta carne Christi, & in nos & in panem tempore communionis à supernis defluit. Sed nota bene, in hoc differimus, & nos à pane, & panis à nobis, quòd panis fiat verè caro Christi, nos vera caro, vterq; alioqui per gratiam, licet fortè propter fidei defectum inæqualem, & vt vno verbo absoluam, Panis est potentia & virtute caro Christi, nos actu tales simus etiam extra sacramentum, dicente antea Rabano, quòd verbum Dei sumimus & de altari & de Scripturis. Idem & Hieronym. in Ecclesiast. cap. 3. Hoc solùm habemus (inquit) in præsenti seculo bonum, si vescamur carne eius, & sanguine potemur, nō solùm in sacramento, sed etiam in Scripturarum lectione, &c. Item & testante Origene cùm ait in Leuit. Bibere dicimur sanguinē Christi non solùm ritu sacramentorū, sed etiam quando suscipimus verbum eius. Vtroque igitur hoc modo nos simus realiter caro Christi, & comedimus Christi corpus. At panis Eucharistiæ, etiamsi sit virtute caro Christi, & realiter corpus verbi ante manducationē, tamen vt fiat actu vera caro, debet manducari, & nutritionis lege in carnis formam conuerti. Propterea cautè dixit Concilium Nicænum, verè eius carnem edentes atque bibentes, nostræ resurrectionis symbola esse credamus. En, non dicit edentes veram eius carnem, sed verè, quia in sacramento adest quidem veritas carnis Christi, sicuti in puero iam baptizato (qui nō solùm verè, sed est verum corpus Christi) non tamē vera & naturalis eius caro. Apertius id explicat Augustinus lib. Sentent. Prosperi. Vtrum, inquit, sub figura an veritate hoc mysticum calicis sacramentum fiat, Veritas ait, Caro mea verè est cibus, & panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita.

Tunc unimur Christo per carnem, quando id quod sumus in Deo est

Non solùm in sacramēto, sed cū suscipimus uerbum Dei, bibimus spiritualem sanguinem Christi.

vita. Sed quia non est fas Christum vorare dentibus, voluit Dominus hunc panem in mysterio verè suam carnem consecratione Spiritus Sancti potenter creari, & quotidie pro mundi vita mysticè immolari. Audis Lector? Panis, inquit, fit verè caro per Spiritum sanctum, id est, transit in naturam veræ carnis, non tamen in veram & naturalem Christi carnem & animatam: & quare dices? Quia (respondet) sic comederetur Christus. At, ait, non est fas vorare Christum dentibus, immò impium esset scelus (vt alibi ait cum Cyrillo) vel hoc solum cogitare. Quid obsecro hîc dicent Pontificij? quid aliqui Euangelici? Sed audi Augustino cōsentientem Hieronymum in Leuiticum, ne quid tergiuersentur. De illa, inquit, hostia quæ à Domino in memoriam Dominicæ passionis mirabiliter fit, edere licet, de illa autem quam Christus in ara obtulit, comedere per se nemini licet. Hæc Hieronymus. Ex quo apertè discis, quod tanto conamine hac declamatione stabilimus, vnam esse Christi carnem in Sacramento mirabiliter factam ex pane & vino infundente se in panem verbo viuifico, de qua etiam ore comedere licet, alteram Christi naturalem quæ est in cœlo, quæque olim pependit in cruce, de qua (ait Hieronymus) Nemini per se, hoc est dentibus edere licet. Hinc detegitur, opinor, crassus ille (vtinam non damnabilis) Pontificiorum error, Interim beneuole Lector & frater in Christo charissime diligenter nota, quòd Augustinus dicit expressè, opera Spiritus sancti panem hunc creari carnem Christi. Deinde quòd Augustino addit Hieronymus, Mirabiliter fieri. Tertiò, quòd Cyprianus dicit, diuinam maiestatem ineffabiliter infundi in panem. Quartò, quòd omnes Patres veteres, quoties de hoc sacramēto loquuntur, paucis prius de eo tanquam delibatis, subijciunt. Nouit quæ dicimus qui mysterijs initiatus est, vnde au-

Non est fas uorare Christum dentibus.

Nemini fas est comedere dentibus de carne illa quæ pependit in cruce, hoc est de uera Christi carne.

di Chrysostomum, de beato Philogon. Si, inquit, cum fide accedemus ad sacramentum, proculdubiò videbimus Christum in præsepi iacentem, siquidē hæc mensa vicem explet præsepis. Nam & hîc ponitur corpus Domini, non quidem fascijs inuolutum, vt tunc, sed Spiritu sancto vndique circumuestitum. Qui mysterijs initiati sunt, norunt quæ dicuntur. Hæc Chrysostomus, quæ diligenter nota, vt partim scias non ita cōtemnendum panem sacramentalem, vt hactenus horrendè fecerunt nonnulli, qui eum Iehan leblan vocarunt, quem Chrysostomus dicit spiritu sancto vndique circumuestitum, partim vt credas, certissimè aliquam esse mutationem in ipso pane sacramentali, non quidem ex dignitate sacerdotis verba Christi pronunciantis succedentem, sed certis Christi verbis (vt ait Augustinus) & institutione firmatam. Errant proinde nonnulli in hoc parùm Euangelici quidam, qui Eucharistiæ panē in eo tantū differre à pane communi asserunt, quia in alium & sanctū vsum transfertur. Nō enim propter id solùm, sed (vt disertis verbis omnes patres dicunt) quia mirabiliter, potenter, ineffabiliter, panis fit caro Christi, mutata quidem natura, sed seruata forma, & substantia in diuinam abeunte naturā (ait Gelas.) non tamen pereunte. Sed nónne hoc erat quod dicebat Amb. Panis manet id quod est, & tamen mutatur in aliud? Bene igitur dixit ante mille & ducentos annos sanctus ille Gregorius Emissenus cùm ait. Non dubitet quisquam primarias creaturas panis & vini nutu potentiæ diuinæ, in dominici corporis posse transire naturam, cùm ipsum hominem videat artificio cœlestis misericordiæ Christi corpus effectum. Sicut aūt quicunq; ad fidem veniens ante verba Baptismi in vinculo est veteris debiti, ijs verò commemoratis mox eruitur ab omni fece peccati, ita quando benedicende verbis cœlestibus, sacris altaribus appo-

Certum est aliquam fieri mutationem in sacramentis, spiritualē tamen.

apponuntur creaturæ, ſubſtantia illic eſt panis & vini, poſt verba autem caro & ſanguis Chriſti. Quid autem mirum, ſi ea quę potuit verbo creare, verbo poſſit creata conuertere? Immò iam minoris miraculi videtur eſſe, ſi id quod ex nihilo agnoſcitur cōdidiſſe, iam conditum in melius valeat commutare. Hæc Emiſſenus, qui quanq̃ pro Pontificijs ad ſtabiliendã Pontificiorũ tranſſubſtantiationem pertinaciter à Pontificijs adducitur, non cuperem tamen mihi cōmodiorem autorem ad euertendum totum Pontificiorũ dogma de Euchariſtia. Aduerte igitur Chriſtiane lector, dicit Emiſſenus, non dubitet quis quas primarias creaturas in dominici corporis poſſe tranſire naturam ob præſentiam maieſtatis diuinæ (nota) cùm ipſum hominem videat artificio cœleſtis miſericordiæ Chriſti corpus effectum, &c. Quòd igitur mutatur panis, accedente ad eum mirabiliter diuina maieſtate (vti iam ſępe diximus) nec ego lector, nec tu dubitabis. Audi Cyprianum, vt in ore duorum (etiam ſi ducentos alios proferre poſſem) ſtet verbum. Panis hic, inquit, quem Dominus diſcipulis porrigebat, non effigie, ſed natura mutatus, omnipotentia verbi factus eſt caro. Hæc ille. Certum eſt ergo, quòd panis mutatur, ſed nota bene, quòd dicunt Patres, in naturam carnis, non in carnem aut corpus hominis perfectum, veluti ac ſi quis mutaret ouum anſeris in verũ anſerem. Nam talis mutatio eſſet ſubſtãtialis & viſibilis. Id quòd ſi verum eſſet, cur Auguſtinus audet dicere libro contra Iudæos. Nunc manibus (inquit) non offerimus carnem, ſed corde & ore offerimus laudem. Nónne quia panis ille nondum ſit actu caro, licet in naturam carnis tranſierit? Audio quid diceret Pontificius, & à ſexcentis annis dixit, quid ſi anſer ille tegeretur aliquo linteo, ſicuti corpus Chriſti tegitur accidentibus panis, ſic non poſſet oculis percipi.

Subſtantia panis in Euchariſtia mutatur ſicuti ſubſtãtia pueri in Bapt.

Notandũ eſt bene, quòd Patres dicunt mutari panem in carnem Chriſti, ſed tamẽ intelligunt in naturam carnis.

At bone vir saltem perciperetur aliquando ex motu, nisi velles eum perpetuò dormire. Sed in re tam seria omittamus ludicra. Dicamus igitur cum Theophilacto super Marcum, quòd Deus mutat panem in virtutem suæ carnis, id quod hîc Emissenus dicit, in naturam. Alij (vt Cyrillus) in vim, aliàs in veritatem carnis. Quod ex nostro Emisseno collige, qui dicit, Panem iam conditum in melius commutari. Commutatur igitur in melius, fateor, & fit quoddam corpus sanctius, vt ait Orig. cuius hæc verba sunt contra Celsum, & notanda & memoriæ mandanda. Quocirca Celsus vt Dei ignarus gratias dæmonibus reddat, nos verò conditori omniũ Deo gratias agentes, & pro collatis eius in nos beneficijs actis gratijs, oblatis panibus vescimur, qui vtiq; per precem efficiuntur corpus sanctum & sanctificans eos qui sano proposito & mente ipsis vtuntur. Hactenus Orig. qui asserit, quòd per precem Christi & eius benedictionem quæ suum habebit effectum ad mundi finem vsq; panis fit corpus sanctum & sanctificans: sed non dicit ꝙ fit Christus, aut ꝙ fiat vera caro Christi. Nec est quòd quis hîc putet Origenẽ loqui de prece, quam fundit sacerdos, aut de benedictione quam facit Pontificius minister formando signum crucis super panem, quasi illa facerent ad Eucharistiæ consecrationẽ. Sed intelligendum est de benedictione Christi. Nam vt dicit Chrys. tota potestas Christi est. Et Thomas ipse de Aquino q. 78. Minister, inquit, in hoc sacram. cõficiundo non habet alium actum nisi prolationẽ verborũ Christi, & nihil agit nisi ꝙ profert verba Christi. Proinde si qua benedictio fit à sacerdote, aut si quæ ceremoniæ adhibentur, pertinent ad solennitatem sacramenti, nõ ad necessitatem, qa sufficit prius benedictio Christi. Hactenus Thomas, quem ideò adduxi, vt tollerẽ scrupulositatẽ ex animis quorundã, qui quia nullas ceremonias vident affigi in cele-

Notanda hæc Origenis uerba contra Celsum, ut de Eucharistia digna cogites.

celebratione ſacr. apud Euangelicos, putat nõ perfici ſacramenta. Redeamus nunc ad propoſitum. Audis lector ex Origene & aliјs, quòd ſic mutatur panis vt fiat ſanctus & ſanctificans dignè vtentes? Mutatur ergo ſubſtantia panis, ſed non euaneſcit, non perit. At Biel ille Tubingenſis doctor & Pontificiorum validum fulcrũ cum ſuis aſſeclis aliud aſſerit in expoſitione canonis his verbis. Tranſubſtantiatio, inquit, eſt vnius ſubſtantiæ in aliam verſio, quæ verſio nihil aliud dicit niſi vnius deſitionem ſcilicet panis, & alterius inceptionem, quantum ad eſſe in loco ſiue ſub illis ſpeciebus, & per hoc vnum conuerti in aliud, non eſt vnum fieri aliud, ſed vnũ ſuccedere alteri. hactenus Biel, qui aſſerit ſubſtantiam panis omnino euolare & perire, & in illius locum ſuccedere Chriſtum, ſic ſubſtantia panis non mutatur in melius iuxta Emiſſenũ, ſed in nihilum redigitur. Vide quomodo laborarit diabolus vt idololatriam inueheret. Nec enim dixit Emiſſenus quòd ſubſtantia panis recedit & accedit Chriſtus, at quod ſubſtantia panis in melius mutatur. Id quod & nos fatemur, videlicet ſubſtantiam mutari veluti in qualitate, non tamen perire. Sic enim argumentatur Origenes quoque. Cœlum mutabitur, ergo manebit eius ſubſtantia. Maneat igitur chriſtiane lector ex veterum conſenſu firmatum hoc, quod panis (vt ait Ambroſius) mutatur in aliud, & tamen manet id quod eſt. Nec eſt quod ad hoc obſtupeſcas, inquit, Emiſſenus cùm videas artificio cœleſtis miſericordiæ hominem Chriſti corpus effici. Nota ſimilitudinẽ. Homo per baptiſmum mutatur mutatione ſpirituali hoc eſt accedẽte ad eum Deo & ſpiritu Dei per habitationis gratiam, & ſic fit corpus & caro Chriſti, an propterea inferes quod fit Chriſtus abſolutè, mutat quoque affectus, an propterea & actus? Sic panis ſubſtantia accedente ad eam mirabili modo & vniente ſe illi diui-

Quid ſit tranſubſtantiatio Pontificijs.

Euchariſtia mutatur nõ pereunte ſubſtantia eius, ſed accedente illi aliqua re accidẽtaliter.

nitate, quod non fit sine potenti opera spiritus sancti, mutatur in diuinam naturam & fit substantia sancta & sanctificans, an propterea mutatur in Christum aut cedit Christo, vt vult Biel? Concedendum est igitur, quòd panis mutatur vniente se illi verbo viuifico, non quidē modo hypostatico, sed ineffabili, inquit Cypr. quia spirituali, potenter scilicet operante id & mirabiliter spiritu sancto. Huc respiciens dicebat Tertullian⁹. Nesciat maritus tuus quid ante omnem cibum capias, & si sciuerit panē esse, non tamen eum qui dicitur. Quasi vellet dicere. Panis cōmunis habet quidē Deum in se per generalē diuinitatis præsentiam, sed hic Eucharisticus etiam si idē ille sit quoad formam & substantiā, alius est tamen, quia Deum habet in se per habitationis gratiā, per spiritus sancti præsentiā. Sic loquitur Cypr. de cœna. A communibus cibis differt hic panis, quod illi adsit virtus diuina. Et rursus paulo infra. Quotidiano (ait) rerū euetu edocetur fidei nostræ infirmitas, visibilib. sacramentis inesse virtutis diuinæ effectū, & non tā corporali, quam spirituali transitione Christo nos vniri. hæc ille. in quo nota hoc quod cū dicit, pani adesse virtutem diuinā, aut (vt dicit Cyrillus cum Dama.) quòd illi adsit diuinitas, nō tollunt substantiā rei, sed mutatā asserunt ex præsentia alterius. Nota quoq; obiter & hoc ꝙ dicit Cypr. nos nō tam corporali transitione, quā spirituali vniri Christo, in quo illud (Tā) indicat nos carnaliter & aliquo modo vniri Christo per carnē, quia panis est eiusdē naturæ caro cū carne Christi, quādiu mirabilē hanc habet in se præsentiā diuinitatis & Spiritus S. Vt igitur ad propositū, cōiunctio hæc mirabilis diuinitatis cū pane, mutat panis substantiā in substantiā carnis Christi. Est proinde panis & tamē alius, quia diuin⁹, quia viuificus, & (ꝙ mireris) quia panis simul & caro est, panis forma, caro virtute. Vnde Hesichius in Leuit. Propterea, inquit, iubet

Adest pani Deus & uirtus diuina, non tamen Christus nisi modo quodā loquendi.

Eucharistia simul panis & caro est, panis forma, caro uirtute.

Domi-

Dominus carnē manducari cū panib. vt sciamus esse & dici sacramentū, quod simul caro est & panis &c. Cōmodissime explicauit omnia, quę dicimus, idq; breuissime Clemens Alexandrinus Origenis pręceptor dicens in suo Pædagog. Amborū temperatura, inquit, potus scilicet & verbi dicitur Eucharistia, id est bona gratia, cuius qui per fidem fiunt participes sanctificātur corpore & anima, cùm diuinū temperamentū, hominē scilicet diuina voluntas spiritu & verbo mysticè temperauerit. Etenim verè spiritus animæ, quæ ab ipso fertur, coniungitur & familiaris fit verbo, propter quam verbū caro factum. hæc ille. Et nota mysterium in verbo (temperatura). At nonne quæ inter se temperantur manēt salua? Si vnio illa admirabilis diuinitatis cum humanitate Christi non tollit substantiam humanitatis, tolleret hæc vnio diuinitatis cum pane (quæ etsi mirabilis, accidentalis est tamen) substantiam panis? Iam quod accidentalis sit vnio illa diuinitatis cum pane, siue cum fideli homine, illa inquam vnio siue præsentia diuinitatis, quæ existit per habitationis gratiam, satis innuit Augustinus cùm ait contra Epistolam Parm. lib. 2. Sacramentum, inquit, tale cuique fit, quali corde ad accipiendum accesserit. hæc ille. Si igitur accesseris reus, non inuenies Deum in Sacramento habitantem per gratiā quæ se subduxit, sed per iudicij seueritatem. Non intrabit Sapientia in animam tuam maleuolam, sed diuina indignatio in tuā condemnationem. Accipis quidē elementū cui accessit verbū & proinde sacramentū, sed nō vt rē (forte) ita virtutē accipis sacramēti. Nā panē quidē sanctificatū virtute mysticæ benedictionis intromittis, sed spiritum Dei sanctificantē non admittis. Probat hęc imprimis ipse August. lib. 3. de baptism. dicens, sacramētis semper assistit virtus diuina, siue ad salutem bene vtentium, siue ad perniciem male vtentium. Deinde

Vnio diuinitatis cū pane, est accidētalis nō hypostatica.

Non oēs qui accipiunt panem sanctificatū, accipiunt spiritū sanctificātem.

Cyprianus de cœna. Equidem(ait)nunquam sese absẽtat diuina maiestas à sacramentis, sed licet sacramenta se patiantur tangi ab indignis, non possunt tamen esse spiritus participes, quorum indignitas tantę sanctitati contradicit. Vides igitur quod interdum diuina maiestas præsens per gratiam sese absentat à sacramento, vel quia sacramentis male & non iuxta Dei institutum vtimur, vel eam pellimus peccato, & inobedientia? Eius rei accipe egregium & exemplum & documentũ à Cypriano de lapsis. Quidam(ait)meo tempore sacrificijs pollutus Eucharistiam accipiens domum detulit, vbi edere voluit, aperta manu inuenit cineres. Vnius exemplo edocemur(ait) Dominum recedere cùm negatur, nec prodesse quod sumitur, quando gratia salutaris in cineres Domino recedente mutatur. Audis illud gratiam mutari in cineres Domino recedente? cùm igitur recedit Dominus, quis succedit nónne diabolus? O horrenda proinde meritò duobus modis sacramenta. Suauia vero & expetenda humilibus, & de se nihil altum sapientibus, contritis corde, & trementibus sermones Dei, super quos libenter requiescit spiritus Dei. Vt igitur finiam, sicuti certus est & infandus aliquot Pontificiorum de transubstantiatione error, ita nonnullorũ quoque Euangelicorum pręposterus zelus (si modo zelus est) reprehendendus est, qui putant nullã esse mutationẽ in pane, nullã ad eũ accessionẽ diuinitatis fieri mirabilẽ. Deniq; nõ nisi in actione panem sanctificationis gratiã retinere. At aliter August. vt supra audisti, aliter Cyrillus ad Calo. Audio, inquit, dicentes mysticã benedictionẽ si ex ea remanserint in sequentẽ diem reliquiæ ad sanctificationem esse inutilem, sed insaniunt hæc dicentes. Non enim alius est Christus, neque sanctum eius corpus immutabitur, sed benedictionis virtus & viuifica gratia, perpetuo manet in eo. hæc ille. Audis lector

Gratia sacramẽti mutatur in cineres Domino recedente.

Qui sunt qui digne accipiũt sacramenta.

ctor quod viuifica gratia perpetuò manet etiam in reliquijs communionis? Nec valet quorundam argumentum qui dicunt, quod sicuti baptismus tantum valet in vsu, ita nec Eucharistia, quoniam generatio, est actio trāsiens, at alimentum res manēs. Proinde vt bene monet Oecolampadius contra Melanchtonem. Quamdiu (ait) benedictus panis seruire potest esui, tādiu ad sanctimoniam est vtilis, à quo nunquam separatur spiritus & viuifica gratia. Quapropter (adijcit) hesternis reliquijs sanctificari ægros non negamus, tametsi in ecclesia id fieri hortamur, vt uerior sit cœna Dominica. Hactenus Oecolampadius & sanè & catholicè sentit de hac re, uti certe (opinor) de omnibus alijs religionis articulis, docens uiuificam gratiam & spiritum sanctum non abesse unquam à sacramentis, quamdiu illa terrena elemēta manet incorrupta. Et certè quid alioqui (precor) deferebāt Diaconi ad absentes, teste Iustino in Apologia? Quid petijt Serapion sibi transmitti per presbyterum, narrante Eusebio? Quid seruabat vxor Tertulliani domi suæ? Quid portabat frater Ambrosij transfretaturus mare? Quid in Eremo solitariam vitam agentes à seipsis accipiebant communicantes vbi aberat sacerdos, teste Basilio in epistola ad Cæsa. Quíd accipiebant Diaconi in ecclesia præcipiente concilio Niceno, & dicente: Proferant ipsi si presbyter nō adsit qui eis porrigat, & edant. Vidésne lector quòd & tunc seruabatur Eucharistia, & quòd hodie etiam non male seruatur in templo christianorum? Si sacramentum est verbum uisibile, quid loquitur intuentibus, nónne hoc est corpus meum licet per gratiam, & uirtutem, ut ait Epiphanius? Aderitne igitur gratia & ueritas corporis Christi ipsi signo & spiritus sacramēto? aderit certè (ut ex Cyrillo didicimus) aderit inquam, modo adsit obedientia, hoc est si sumatur, aut ad manducationis finem asseruetur. Alias, adest

Panis Eucharistia ad sanctificationē est utilis etiā si ad tēpus aßeruetur ad usum communionis.

Oecolāpadius sanè edocduit Eucharistia, et alijs religionis articulis.

Gratia Dei manet semper in Sacramento quādiu elemētum manet incorruptum.

quidem aliis, sed tibi non adest, recessit, qui tamen est vbique, mortem ibi reliquit, qui omnia viuificat, & Diabolo locum dedit, qui omnem alioqui locum implet. Denique semper illi adest spiritus & vita, sed tibi aut non credenti, aut mysterium non intelligenti, solus est panis, solum est vinum, ait Augustinus in Ioa. tracta. 26. Quod ergo olim pij christiani in ecclesia prius sumptæ Eucharistiæ portionem domum aliquando deferebant, quod ad ægros quoque eam deportabant, quoniam ad manducationis finem, & reconciliationis cum ecclesia signum tendebat, non aut superstitionis aut adorationis, indulgentia fuit charitatis (opinor) non inobedientiæ peccatum. Vnde hoc intuitu suaserim ab ijs idem fieri, qui nondum in fide ad plenum sunt confirmati. Multùm enim fidei nostræ imbecillitatem adiuuat, quod ex magna Iesu Christi liberalitate, Verbum viuificum simul & spiritum sanctum reuera & corde, & ore, & manu veluti contrectamus, suscipimusque in specie panis corporali, quem alioqui sine sacramento occultè è cœlo in nos delabentem oportuisset excipere sola fide. Ostendit se dico spiritus sanctus reuera fidelibus veluti sub specie panis & tactu eos sanctificat (vt dicit Cyprianus) non transubstantiato tamen pane, qui aliquando se ostendit in specie columbæ integra manente columba, testante id Augustino de cogni. veræ vitæ cap. 18. Spiritus sancti substantia, inquit, non est in columbam transmutata, sed formauit sibi spiritus sanctus columbam veram, in qua se ad horam super corpus sibi inseparabiliter vnitum ad testimonium hominibus exhibuit, & tamen à substantia Patris non recessit. hæc ille. Hoc modo aut simili pani vnitum verbum viuificum, & spiritus sanctus commodè suscipitur & à sanis & ægrotis. Vnde fit vt non possim non approbare illarum ecclesiarum morem

Ad fidem stabiliendam de ueniente ad nos spiritu sancto, bonũ est morituris & tamen mente constantibus præbere Euchar. si eam postulauerint.

rem in Germania reformanda & pium, & sedulum, qui vt frequentissimè cœnam Domini celebrant, ita etiam poscentibus Eucharistiam infirmis benigne illis eam impartiuntur. Proinde (lector) quotiescunque lecto decumbis infirmus, si hoc aut illo die audis dispensari mysterium in ecclesia, pete audacter tibi adferri portionem mysticæ benedictionis, & non peccas. Si vero deest oportunitas, audi iuxta diuinam naturam vbique præsentem Pontificem Iesum Christum animarum nostrarum pastorem, in anima tua inclamantem: Accipe, manduca hoc corpus meum. Aperi ergo oculos fidei, & suscipe dilectionis charitatisque igne quem vides, & manducasti, hoc est è sacra illa carne & glorioso corpore Iesu Christi, quòd in cœlo pœnitens & fidelis adoras, corpus verbi, vitam inquam & spiritum sanctum occulto illapsu in animam admisisti. Vnde caro tua caro Christi facta est, & proinde non dubites quin vbi caro tua, quæ in cœlo est & in Christo glorificatur, ibi gloriosus aliquando eris, vbi sanguis tuus dominatur, ibi olim dominaberis. Si sic instruerentur omnes, inuiolatum seruaretur Dei institutum, nec optima alioqui res & à Deo firmata consuetudo de manducando corpore Christi cum tota fraternitate, facile transiret in abusum. Nam & lex spiritualis (ait Basilius) vetat pauciores esse quàm duodecim, qui Dominicum Pascha manducent. Deinde iubet Leuiticus, vt sacrificium eo die comedatur, quare inquit Origenes? Quoniam (respondet) Dominus panem quem discipulis dabat, & dicebat, accipite, manducate, non distulit, nec seruari iussit in crastinum. hæc fere Origenis tempore erat consuetudo ecclesiæ, id quod multis annis est in ecclesia obseruatum teste Euagrio ecclesiasticæ historiæ lib. quarto. Consuetudo vetus obtinuit, inquit, quando multũ sanctarũ

Deberet Euch. celebrari quotidie in cathedralibus ecclesiis.

Lex spiritualis uetat pauciores esse quam duodecim, qui Dominicũ Pascha manducẽt

partium immaculati corporis Christi Dei nostri reman serit, vt pueri tenelli qui ad Ludi magistros ire solebant aliqui aduocarentur & eas comedebant. Addit & Hesichius in Leuiticum cap. 8. Sed hoc quod superest, inquit, de carnibus & panibus igne incēdi præcipit, quod nunc videmus sensibiliter fieri in ecclesia christianonorum, ignique tradi quicquid de Eucharistia manserit inconsumptum. Audi & alium morem tempore Hieronymi, sic enim dicit, prima ad Corinth. 11. Post communionem, quæcunque de sacrificiis superfuissent, illic in ecclesia communem cœnam comedentes pariter consumebant. Colligat nunc ex his pius lector an illa tempora habuerint Eucharistiam pro Deo. Et an asseruarint eam in templo ad adorationem. Lego quod asseruabatur in templo, sed sub altari, vt apparet ex Nicephoro lib. 13. cap. 19. Dicamus ergo omnes, qui sumus christiani cum Hieronymo in Psalm. 41. Pagani & Pontificij Deos suos digito ostendunt & ob hoc ingerunt mihi opprobria. Vnde sciant, quod ego mente Deum meum teneo reconditum & per interiorem hominem in ipso habito. hæc Hiero. Vt igitur tandem finiam. Hoc retine amice lector, quod diuinitas siue verbum Dei æternum ineffabili modo in panem illapsum, per mirabilem gratiam nimirum, alioqui etiam ubique est per potentiam & prouidentiam, panem mutat in virtutem carnis Christi, cuius energiæ ratione, non immerito vocatur caro Christi, & corpus eius. Cæterùm hæc mystica benedictio siue hic spiritus sancti afflatus, à sacra carne Christi è supernis in nos & sacramenta defluit, vt pulchrè asserit Cyprianus de cœna. Superius, inquit, lumen hoc in inferiora diffusum, claritatis suæ plenitudine à fine ad finem attingens, totum apud se manens, omnibus se accomodat, & caloris illius identitas ita corpori assidet

Olim Christiani reliquias Eucharistiæ uel dabant pueris comedendas, uel in ignem proijciebant.

Pagani Deos suos ostendunt digito, at Christianus Deum suum in corde reconditū habet.

vt

vt à capite non recedat, &c. Vides Lector, quòd à capite Christo defluit & illabitur vis illa viuifica, vnguentum illud preciosum in fimbriam vestimenti, & ecclesiæ singula membra? Audi asserentem idipsum & Cyrillum in Iohan. lib. 12. cap. 6, Christi, inquit, & à Christo baptismus & mystica benedictio à sancta eius carne profluit. Est enim Christi caro adeò viuifica effecta, vt possit nobis suam sanctificationem immittere. Hæc Cyrillus. Et aduertis opinor, quòd caro Christi non descendit ad nos, tantùm abest, vt eam ore & dentibus premamus, sed ab ea veluti lumen à Sole in nos & in sacramenta illabitur Verbum de Deo verbo, vt vocat Origenes. Cùm enim, (vt idem ait Cyrillus in Ioan. lib. 4. cap. 23. & 34.) totum corpus Christi viuifica virtute plenum sit, & cum viuificanti verbo summè coniuncta sit eius caro, non mirum si totam viuificandi vim hausit. Proinde, dico, oporteat eum, qui spiritum viuificantem siue vitam expetit, ad carnem Christi aspicere, veluti quondam Israelitæ ad æneum serpentem, & eam manducare, hoc est credere quòd verbum Dei in ea habitet, & caro factum est pro mūdi peccatis. Nam talis fidei virtute tanquam labijs & ore, quodam, vita & Spiritus sanctus elicitur, quibus ad vitam beatam peruenitur. Inde quoq; fit, vt impij Turcæ & Iudæi, peruersi quoq; Christiani, qui si non fustibus, gladijs & verberibus, enormibus tamen peccatis continuè Christū crucifigunt, vitam nūquam sint ęternam adepturi, qui eam in incarnato verbo non quærunt, vel nec credunt quòd Verbum caro factum est, vt carni humanæ vitam restitueret, vel si credunt, ingratitudine, impietateque oblatum vitæ beneficium contemnunt. Quocirca si vitam expetis, aspice ad carnem Christi, ad corpus illud quod sibi assumpsit Verbum æternum, & quod infinitis doloribus in cruce fractum, pro te mortuum est, & iam resurrectionis benefi-

Spiritus S. descendit in Eucharistiam, & singulos fideles à sancta Christi carne, sicuti & baptismi gratia.

cio in gloriam Dei assumptum vitæ beneficium & Spiritus sui gratiam omnib. poscentibus & se diligentibus impartitur. Quoties igitur audis inclamantem Dominum voce ministri, & dicentẽ, Hoc est corpus meũ, mox fide oculum mẽtis erige in cœlũ, & aspice Iesum Christum Deum & hominem, qui se tibi offert, vt si quid tibi pulchrum est & arridet in eo, cuius desiderio pertinaci tangeris, hoc liberè decerpas. Quid igitur in Christo vides? quid admiraris? carnem eius siue corpus castissimũ, manus purissimas & innocentissimas, patientiam, obedientiam, temperantiam, & quid amplius? reconditam in eo diuinitatem, cui libenter cõiungereris, Spiritum Sanctum, cuius afflatu libenter perfundereris ad vitam beatam. Denique cuperes tibi simile corpus, exposceres simile alimentum, quod simul tibi esset medicamentum, vt tandem in simile corpus excrescas? Admoue manum ad sacramentum, & quale desideras, tum ore tum corde suscipe nutrimentum. Siquidem hic panis quem tangis virtute & potentia caro est, similis illi, quam cum tanta admiratione sursum contemplaris, & vinum hoc sanguis est virtute, illi sanguini cognatus & affinis, quem è Christi latere diffundi prospicis, plenus vita & Spiritu sancto. Est proinde hoc sacramentum, quod dente premis, & cuius vim corde sugis, vera imago, sed intelligibilis illius corporis Christi, quod sursum fide intueris, & ad vitæ tuæ æmulationem manducas. Vnde alimento sicco & humido admoneris (verba sunt Iustini in Colloq. cum Criphon. ne phrasis te offendat) eorum quæ filius Dei pro te passus est. De hoc pane, & hac corporis Christi imagine audi disserentẽ Hieronymum in Mat. ca. secundo & sextò. Postquam, inquit, Christus agnum paschalem comedisset, progreditur vltro ad instituendum sacramentum, vt sicut Melchisedech per panem & vinum

Quomodo comeditur Christus.

repræ-

repræsentauerat corpus passurum, hic nobis repræsentaret passum. Hæc ille: qui satis indicat, quòd panis sacramentalis sit imago intelligibilis corporis Christi, quod olim mortuum pependit in cruce, & nunc in cœlo regnat in gloria Patris. Consentit illi Ambrosius de Sacram. Eucharistia, inquit, verè illius carnis quæ crucifixa est, quæ sepulta est, verè inquam est illius carnis sacramentum, quasi dicat signum, figura, seu imago. Id clarius exprimit Tertullianus contra Marcion. libro secundo. Deus, inquit, non reijcit panem, qui est creatura sua, quoniam per eum repræsentat corpus suum. Tantundem ait libro quarto contra eundem, Postquam, ait, Christus accepit panem, fecit eum corpus suum, dicens Hoc est corpus meum, hoc est imago seu figura corporis mei. Consentit his omnibus Augustinus in Psalm. 8. Christus, inquit, suscepit Iudam in cœnam, cùm daret figuram corporis sui. Et rursus alibi: Non veritus est Dominus dicere, Hoc est corpus meum, cùm daret figuram corporis sui. Conclude igitur vel meo periculo Lector, quod caro illa, quam in pane contemplaris, potentia tamen, & virtute, non actu (nam debet manducari, vt fiat vera caro) non sit illa naturalis caro Christi, & numero ipsissima, quã in cœlo cõtemplaris. Sed caro illi germana, vt dicit Cypr. caro illi affinis, vt Cyril. vocat, aut deniq; caro vicina & natura similis carni Christi, vt dicit Chrys. plena tamen vita & Spiritu S. ne typus & similitudo omni veritate destituatur, interim nõ est tota veritas, ne nõ sit typus (ait Chrys. super illud, Nolo vos ignorare fratres, ꝙ patres nostri omnes fuerunt sub nube, &c.) cuius rei respectu Max. Schol. scribẽs in eccl. Hier. Dionysij dicit de Euchar. Σύμβολα ταῦτα, ἀλλ' οὐκ ἀλήθεια. Longior sum, scio, in huius rei demonstratione q̃ oporteat, sed quid? rei id tũ difficultas, tũ veritas exigit. Nã & multi, quos nouimus Euangelici, facilè admittũt,

Panis quẽ Melchisedech protulit, repræsentabat corpus Christi passurum, hic quem Christus offert repræsentat passum.

Christus per panẽ eucharistiæ repræsentat corpus suũ.

quod sit signum, figura, siue imago, sed quod (dolendum) aut dissimulant, aut ignorant, quòd sit imago & figura non nuda aut inanis, sed viuifico verbo plena & Spiritu sancto. Vnde est quòd ægrè admittant Clementis Alexandrini definitionem verissimam. Eucharistia est temperatura vini & verbi, & bona gratia. Quòd si hæc definitio minus placet, vtamur ad rudioris populi eruditionem illa, quam Epiphanius reliquit suis dicens in Ancor. Eucharistia est corpus Christi per gratiam. A qua non abhorruit Augustinus scribens in Psalm. sexagesimum quintum. Modò, ait, homicidis donatus est sanguis Christi, & ipsum sanguinẽ quem per insaniam fuderunt, nunc per gratiam bibunt. Quòd si cui magis arridet Pauli definitio Augustanæ confessioni ascripta, & ab ea explicata eo intellectu, quo antea exposuimus, credo quòd nemo eam reijciet, modò tandem omnibus sit persuasum, nos ore nõ manducare in sacramento naturale & palpabile illud corpus Christi quod crucifixum est, & nunc sedet in gloria Dei patris. Proinde iam (quod toties polliceor) finem facio, si modò hoc solum & Pontificijs & quibusuis alijs Euangelicis persuasero ex beato Cyrillo, vel etiam inuitis & reluctantibus. Sic igitur ille in Iohan. 11. cap. 27. Vt igitur, inquit, Christus nos inter nos singulos vniret (quamuis corpore simul & anima distemus) modũ tamen inuenit consilio patris & sapientię congruentem. Suo enim corpore per mysticam benedictionem benedicens credentes, & secum & inter nos corpus efficit. Corporaliter enim per mysticam benedictionem nobis vnitur vt homo, spiritualiter verò vt Deus, sui spiritus gratia nostrũ spiritum reintegrans ad nouam vitam & diuinæ naturæ participationem. Hæc Cyrillus. Et audisne amice Lector, quòd quamuis tempore cænę Dominicæ Christus à nobis absit corpore & anima, pulcherrimo tamẽ modo se

Definitio Eucharistiæ notanda & inculcanda.

Eucharistia est corpus Christi per gratiam.

do ſe nobis coniungit per carnē ſiue corporaliter, non tranſſubſtantiando panem in naturalem ſuam carnem & animatam, non includēdo eam modo metaphyſico in pane, nō comedentibus nobis corpus ſuum cum pane, quomodo ergo, ô beate Cyrille? En quid reſpōdeat: ſuſcipiendo myſticam benedictionem in pane & vino. Quæret forſitan pius lector & dicet, ferè mihi perſuades, ſed neſcio quid intelligere debeam per myſticā benedictionem. Audi ergo quid Cyrillus lib. II. c. 16. dicat. Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Quæritur, inquit, ſi cognitio aut fides eſt vita æterna, cur dicitur quòd fides ſine operibus mortua eſt, aut quid opus operibus? Cognitio verè vita eſt (reſpondet) quia totam myſterij virtutem parturit, & myſticę benedictionis adfert participationem, per quā viuifico verbo coniungimur, qua de cauſa Paul. dicit, gentes eſſe cōcorporales Chriſto, &c. Audis Lector? Myſtica benedictio eſt virtus & vis quædam à Chriſto illapſa & eius carne, quæ nos verbo viuifico coniungit. Probat hoc libro duodecimo capite 36. dicens. Myſticæ benedictionis virtus, inquit, à ſancta Chriſti carne profluit. Hæc igitur virtus vnit nos Chriſto per carnem, vt aſſerit idem Cyrill. lib. II. c. 27. in hæc verba. Virtus ſanctæ carnis Chriſti vnum facit corpus participantes. Sed dices, quomodo vocatur illud donum ſiue illa vis, nónne habet nomen? Cùm adhuc eſt in pane ſacramentali, non habet nomen, niſi quòd ab Orig. vocatur Verbum de deo verbo: à Cyrillo ad Caloſyr. Vis vitæ. Sed cùm eſt in anima Chriſtiani, vocatur Fides ſiue cognitio de patre & filio. Vt igitur creſcat hæc fides, hæc de Deo cognitio, ſæpe legendum, ſæpe audiendum verbum Dei, quia fides ex auditu, ſæpe deniq; ſuſcipienda Euchariſtia, quæ foris ingerit auribus verbum Dei externum, cùm dicit, Hoc eſt corpus meum,

Nota hunc locū, qui probat quòd ſola fides et cognitio dei iuſtificet, & quomodo.

Myſtica benedictio quid ſit.

Fides de Chriſto filio Dei incarnato cōiungit nos Chriſto per carnem.

quod pro vobis datur. Intus verò fidei donum recondit, vt fidei suppeditet incrementum fidelibus, quæ aucta vel ad magnitudinẽ grani sinapis poterit etiã montes transferre. Per hanc igitur vim vitę siue virtutẽ, quæ à carne Christi profluit in panẽ, dicimus, ꝙ in Eucharistia est vis siue veritas carnis Christi, vnde differt à pane cõmuni. Hic enim corpus tantùm nutrit, ille aũt & corpus & animam, quia & substantiam habet terrenam, & cœlestem. Propterea eget & ore carnis & fidei, vt & fidei & carni nostræ præbeat alimentũ. Et sicuti quo panis vsitatus diutius in ore masticatur, eò melius in stomacho digeritur, & assimilatur tandem: ita verbum Dei & sermo super panẽ dictus, quò diutius contemplationis internæ dentibus atteritur, eò maiorẽ sui vim in animã diffundit, & ad imaginẽ siue similitudinẽ Dei hominem transformat, corpusq; Christi efficit. Alioqui qui tantũ eo die quo quis accipit eucharistiã, verbum Dei ruminat, facilè idem sequẽti die verbũ amittit. Sed dicet mihi hîc nasutulus. Intelligo nunc, quomodo cum fide de Christo accedendo ad Euchar. accipio in Euchar. fidei donum siue virtutem quandã à Christi carne illapsam, quæ me coniungit Christo carnaliter, hoc est, facit meã carnem Christi carni congenerem. Sed est hoc satis, est illa tota mysterij virtus, hoc est vis, quæ in Christo est, quæ nos beatos facit? Minimè. Nam notásne quòd superius dixit Cyrillus, ꝙ cognitio siue fides parturit totã mysterij de Christo virtutẽ? Vbi nota illud (parturit, & totam) vt scias primò, ꝙ perpetua nos de Deo contemplatione exercere oporteat vsq; ad vitæ finẽ, quãdo fiet iam vt nõ nobis parturiat, sed pepererit Christus. Tunc enim apparebit nobis quod perfectũ est, & facie ad faciẽ eum videbimus. Secundò notandum, dicebã illud, Totam, quia mystica benedictio veluti gemellũ nobis parturit, qui nobis necessarij sunt ad vitã. Totũ igitur fœtum

tum excipere oportet, sed quomodo, audi ex Cyril. eodē c.16. l.11. in Io. Cognitio igitur vita est, spiritualē nobis benedictionem adducēs, per quam Spiritus Dei in nobis habitat in adoptionem filiorū Dei, nos per veram pietatem & euangelicā vitam ad incorruptibilitatē reformans. Proinde cōsidera diligenter, quomodo solius Dei cognitio efficiatur. Non enim absq; cognitione filij & Patris, quare nec absq; cognitione S. Sancti. Hæc enim Dei vnitas in trinitate intelligitur. Hęc Cyrillus. Ex quo percipis paucis, ꝙ sicut cognitio Patris & Filij vim vitæ & mysticę benedictionis virtutē immittit, hoc est fidem quæ nos cōiungit Christo vt homini. Ita cognitio & cōfessio S. Sancti, qui à Patre & Filio procedit, vim quandā infundit, quæ charitas vocatur. Vt igitur cognitio Patris & Filij & S.S. est totum mysterium Dei, ita propter hanc, quæ nobis obtigit ex mera gratia, non ex merito, simus participes verbi æterni per fidem, & S. Sancti, qui est charitas per dilectionem. Sic dilectione cōiungimur Christo, vt Deo, fide illi vnimur vt homini. Sic quoque (vt ait ibidem Cyrillus) in Patre & Filio, & Spiritu Sancto vnum sumus. Vnum autem dico, inquit, habitudine atque affectu, vnum pietatis consensu, vnum sanctæ carnis Christi communione, vnum vnius sancti Spiritus participatione. Ex his percipis tandē opinor, Christiane lector, q̄ horrendi facinoris autores sint Pontificij, & nescio qui alij, qui audent docere populum, ꝙ ore integrū Christum suscipiant, digerāt, & in alimoniā carnis transmittant, sub accidētib. panis latitantē, & deniq; in aut cū pane præsentē cū carne & anima. Mentiris (inquit Cyr.) abest corpore & anima, licet in sanctis habitet per suum spiritum, non reliquens eos orphanos. Iuuat Cyrillū Aug. dicens in Psal. 98. Separatus est, inquit, caput nostrū Christus à nobis corpore, & loco à nobis est discretus, iunctus est tamen affectibus. Hæc ille, qui

Quomodo cognitio siue fide. de Deo nita sit.

Ex mera gratia Dei, non ex nostro merito uenimus in cognitionem Dei

quàm egregiè mentiretur, si eum acciperemus ore? Ergo cùm dicit vel Irenæus vel Cyrill. nos naturali participatione vniri Christo per carnem, intellige id fieri potissimùm, quando manducatur panis Eucharistiæ, qui ob inexplicabilem vnionem (quæ tamen hypostatica non est) verbi viuifici cum pane transit in naturam carnis Christi, proinde per illum panem, qui verè nos nutrit, naturæ tàm carnis Christi, quàm diuinitatis simus participes, modò accesserimus ad comedendum, & fidei & charitatis consortes. Id ita esse, collige ex Cyrillo in Ioh. lib. 10. c. 13. cùm ait, Cur igitur secundum carnem palmites nos dici pernegat? an non conuenienter potest dici, vitem humanitatem eius esse, & nos palmites propter identitatem naturæ? eiusdem enim naturæ vitis & palmites sunt. En Lector: Palmes, inquit, eiusdem naturæ est cum vite, propterea vnum quid cum vite. Sic igitur etiam collige. Panis sacramenti sufficit nobis carnem eiusdem naturæ cum carne Christi, ergo naturaliter coniungimur Christo. Vnde sicuti non sequitur Palmes manducatur, ergo tota vitis: sic nec sequitur, caro Christi in sacr. quæ est palmes, manducatur, ergo totus Christus. Nec hoc etiã sequitur, Palmes idem est cũ trunco vitis, idẽtitate naturę, ergo etiã identitate numerali. Si enim consequentia vera esset, verè dici posset, ꝙ sacramentũ esset realiter Christus, & ꝙ manducaretur vera caro Christi, & ꝙ ea contactu vero nos sanctificaret & viuificaret. Sic etiã sequeretur, Petrus est idẽ cum Paulo identitate naturæ, ergo Petrus est Paulus. Deinde Petrus crucifigitur, ergo & Paul. Quàm aũt hoc sit falsum, disce lector ex sequentib. Cyrilli verbis eodem lib. & loco. Cùm igitur, inquit, Dominus dicit, Verba q̃ ego loquor spiritus sunt & vita, caro nihil prodest: apertè ad viuificandũ carnẽ nihil prodesse ostendit, in quantũ humanæ naturę caro est. Cũ igitur deitati attribuatur conscr-

Non debemus carnis Christi præsentiã desiderare, ut uiuificemur.

seruantia & viuificatio, non debemus (ô christiani) carnis præsentiam propter hoc desiderare. Nihil enim mali nobis accidere potest etiam si carne abest, cùm diuinitatis suæ potestas nos sit seruatura, quæ & Apostolos olim & nos hactenus seruauit. hęc Cyrillus, quē locum bene nota. Si Cyrillus vnquã credidisset ꝙ ipsissimam carnē Christi nos comederem⁹, & comedere à Domino iuberemur vt viuificemur, dicente. Accipite & manducate, hæc est caro mea, qua fronte auderet hic Cyrillus nos hortari dicendo. Nolite desiderare præsentiam carnis Christi, vt viuificemini. O christiani, caro enim nihil facit ad viuificationem. Nam spiritus, id est, Deus est qui viuificat. Et licet Christus carne absens sit à nobis, diuinitas tamē, quę pręsēs est nos & viuificabit & cōseruabit. Qua igitur fronte (dico) ausus fuisset hæc dicere Cyril. Auderétne Domino ponere leges? Sed accipe lector mentē Cyrilli. Dixerat antea (vt audisti) quòd Christus absit à nobis corpore & anima, iam si quis quæreret & diceret, quomodo ergo nos potest viuificare cum tanto locorum spacio à nobis distet. Quod autem distet accipe id ex Gregorio in Iob. hom. 26. super illud: Ascendit in cœlum. In veteri testamento legimus, inquit, quod Helias sit raptus in cœlum, sed aliud est cœlum aereum, aliud æthereum, illud enim terræ est proximum, Redemptor autem hoc cœlum superauit, & cùm eò per humanitatem ascenderet, per diuinitatem videtur, & cœlum & terram replet. hæc ille. Sed ad Cyrillū redeamus. Volens igitur Cyrillus hanc falsam opinionem de præsentia animatæ carnis Christi eximere de mentibus eorum dicit. Quid? miseri homines, putatis quod caro Christi inquantum caro est, proprie & per se viuificet? longè fallimini. Et reuera si ita esset, merito exposceretis illius præsentiam. Nam sic aliquando credidit Martha dicens, Domine si fuisses hic, frater meus

Caro Christi cōsiderata in se ut solū caro est non uiuificat, quia uero propria uerbi caro facta est, uiuificat per uerbum.

nō fuisset mortuus. Sed vt ipsa errauit, ita & vos. Ipse est igitur spiritus Christi, est ipsa diuinitas, quæ propriè viuificat, cū ipsa naturaliter vita sit. Quòd si rursus dicas. Ergo caro Christi nihil omnino prodest vt etiam dicere videtur Dominus? falsum est respōdet Aug. Nā si caro nō prodesset, verbū caro non fieret vt habitaret in nobis: sed sic dictum est, inquit, caro non prodest, quomodo, litera occidit. Accedat ergo spiritus ad literā & prodest, sic accedat spiritus ad carnem, & prodest plurimū. Cum igitur (vt iterū ait Cyril. in Ioa. l. 4. c. 24.) totū corp⁹ Christi viuifica virtute plenū sit, & totā viuificandi vim hauserit diuinitate corporaliter in eo habitante, propterea adeo viuifica effecta est eius caro, vt possit nobis suam sanctificationē immittere, etiamsi tā lōge à nobis remota sit quā cœlū à terra. Nam non est difficile fidē nostrā mittere in cœlū, & illinc spiritū sāctum haurire è carne Christi, qui habitans in nobis nos viuificet & cōseruet. Nam vt idē ait Cyril. lib. 11. c. 27. Propterea sanctificauit se Christus Spiritum S. in carnē suā immittendo nō propter seipsū, sed propter nos, vt in ipso & ab ipso recepta sanctificationis gratia in nos transiret. hæc Cyril. ex quo satis discis manēte Christo in cœlo nos ab ipso fide elicere posse sanctificationis siue (ꝙ idem est) mysticæ benedictionis gratiā qua coniungimur Christo per carnē & sumus illi cōcorporei. Quod si fides tua tā imbecillis est vt eò constāter ferri nequeat, en accipe & māduca sacramentū, in quo Christus ex sua liberalitate habitat & per sanctificationis siue deitatis gratiā & spiritus præsentiā, vt per illā panis Eucharistiæ mutatus in virtutē carnis Christi, tuā carnē alat fide & ore manducatus, hic tuum spiritū renouans ad nouæ vitæ participationē, recreet, attractus dilectione. Proinde cōcludit Cyril. in hæc verba c. 21. Credere omnes fideles oportet, ꝙ quāuis Christus à nobis absit corpore (vide lector an putet eū esse

Quomodo caro Christi dicitur prodesse.

Caro Christi totā uiuificandi uim hausit cū sit propria uerbi facta propterea uerè uiuificat quod non credere impiū est.

Gratia præsentis diuinitatis in Euchar. attraitur fide spiritus S. dilectione, idq; nobis intuentib. Christū in cœlo.

in

in sacramẽto) virtute tamen sua, omnia & nos guberna ri, adesseq; sẽper ipsũ omnib. qui eum diligunt. Nã quẽ admodũ quando vt homo in terra cõuersabatur, tunc etiã cœlos implebat diuinitate, & Angelorũ cõsortia nõ relinquebat, eodẽ nunc modo cũ sit in cœlis cũ carne, terrã nihilominus replet deitate, etsi sit absens corpore per spiritũ tamẽ in sanctis habitat. Quãuis.n. secũdũ car nẽ solũmodo erat abiturus, adest sẽper virtute deitatis. Hactenus Cyri. Cuius sententia, rationi, humanitati, scri pturæ, reliquisq; patrib. cõsentanea pluris sit apud te põ deris si saluari desideras christiane lector, quã sexcento rũ Scotorũ, Lombardorũ, Thomistarũ, & deniq; omniũ Euãgelicorũ, qui nomine tantũ tales sint, & qui ei, & cæ teris illi tũ vetustate, sanctitate tũ eruditione similib. cõ tradicunt. Sat tibi sit ergo ꝙ accessurus ad mensã Domi ni vere pœnitẽs de peccatis aut cõmissis aut omissis, no tis per tui diligens examẽ, ignotis per fragilitatẽ, paceq; habens cũ tua conscientia & confratrib. credas & fidei oculo sursũ intuearis adoresq; prostrato & corpore, & mente Iesũ Christũ æternũ Dei patris filiũ vere in vna persona Deũ & hominẽ pro te crucifixũ, quem cũ mul- ta gratiarũ actione & humili prece deposce, vt vitam & spiritũ sanctum è sacro illo suo corpore, quod vita & spi ritu plenũ est in te diffundat, vt fias corpus & caro eius. Mox extendens manũ ad Eucharistiã, per mysticã bene- dictionẽ sanctificatã, vitaq; plenam, hac aut simili (si vo les) Deũ Patrẽ oratione prosequere. Omnipotens Pater fiducia bonitatis tuæ inuitantis me ad te per filiũ tuũ Iesum Christum dicentem. Venite ad me omnes qui la boratis & onerati estis, & ego reficiam vos, fretus igitur hac voce, non in meorum meritorum, quæ nulla agno sco dignitate confidens, Audeo suscipere ꝙ mihi in hoc visibili sacramẽto inuisibiliter offers, audeo (inquã) & fi de qua possũ, & dilectione quã à te accepi admittere in animã meã corp⁹ h.e. substãtiã verbi tui viuifici & spirit⁹

Nota lector hanc Cyril. cõclusionẽ ut te munias aduersus Pontificios & Vbiquitarios.

Modus sumendæ Eucharist.

Oratio pia dicenda accipiẽtibus Euchari stiam.

ſancti, qui ſecreta & præpotenti virtute panis huius & vini ſubſtantias alendę carni meæ idoneas, in naturam ſanctiſſimæ carnis & ſanguinis dilecti filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti per myſticam benedictionem immu tat: audeo igitur admittere in domunculam cordis mei te tuamque maieſtatem per habitationis gratiam cum innumerabilibus muneribus nobis filij tui morte acerbiſſima partis iſthic habitare volentem. Agnoſco equidem & deploro meam indignitatem mitiſſime Pater. Scio quoque quàm turpis, & fœdus ſit iſte locus animæ meæ, quem concupiſcis pro habitaculo tuo, ſcio quàm ſit obſcurus ignorantiæ caligine, quàm abominabilis peccatorum meorum halitu, ſed dignare procedentem à te, & filio tuo tum tibi conſubſtantialem præmittere ſpiritum ſanctum, qui in me ſalutares pœnitentiæ lachrymas excutiat, quibus irrigatus iſte cordis mei locus niteat, & emundetur, qui fidem imprimat, & adaugeat in mente, qua ueluti manu te rerum omnium conditorem oſculo pacis excipiam, qui amorem & charitatem infundat, quæ tibi apponam, ſuauiſſimas omnium quas appetis in homine delicias: qui deniq; humilitatem addat intellectui meo (qua, bene memor meæ conditionis, proſtratus coram tua Maieſtate, quam turpiter hactenus offendiſſe & confiteor gemebundus & doleo triſtis) hoc à tua bonitate impetrem, vt propter filium tuum Dominum Ieſum Chriſtum ſurſum ad dexteram tuam ſedentem, ſed in hoc pane per ſuum ſpiritum præſentem, propter illius tàm dira vulnerata, quæ pro nobis paſſus eſt verus Deus, & homo, propter mortem acerbiſſimam, quam ſubijt in ignominioſa cruce pro peccatoribus nobis, propter ſanguinis ſui effuſionem, vnde huius ſacramenti gratia emanauit, propter (inquam) hunc redemptorem noſtrum vnicum: velis delere, quæ peccaui, ignoſcere

pœnas quas merui, & in filiorum tuorum me societatem asciscere: pristinæ sanctitatis quam meritò amisi filius prodigus, mihi benigne & restituens vestem & annulum hoc est imaginis Dei ad quam conditus sum dignitatam. Propter quod offero tibi meipsum, corpus & animam meam, omnia mea quoque ad tuam gloriam & proximi mei, cum quo pacem habeo salutem in sẽpiternum obedientiæ sacrificium gratias agens & benedicens tibi Patri, filio, & spiritui sancto vni essentia Deo, trium personarum proprietate distincto. Amen.

PRO SEDANDIS RELIGIONIS CONTROVERSIIS

Liber Secundus,

Ad Pontificios de veneratione debita sacrosanctæ Eucharistiæ, & de necessaria illius sumptione sub vtraque specie.

AVTHORE IODOCO HARCHIO Montensi Medico.



VANDOQVIDEM superiori libro euidenter probauimus in sacramento substantiam panis & vini ratione verbi viuifici mirabiliter cum ea coniuncti transire in naturam carnis Christi, quia tamen nec est caro actu sed potentia, nec eadem numero cum substantia carnis Christi, quæ est in cœlo sed specie. Pręterea cùm diuinitas non sit illi hypostaticè vnita vt est in Christo, merito panem Eucharistiæ vocauimus omnium Patrum

Pōtificij idololatræ quare.

more figuram seu imaginem intelligibilē carnis & corporis Iesu Christi. Proinde cùm nō sit idem quod Christus, merito appellari (forsitan) possent Pontificij oēs, idololatrę in hunc diē, ex seuerissima (vt diximus) sententia Augu. pronuntiantis ad Ianuariū, quod nulla imago Dei coli debet, nisi illa quæ hoc est quod Deus ipse. Cæterum quum probauerimus aliquot Zuinglianos paulo minus tribuere Eucharistiæ, quàm oporteat, propterea & totam eorum doctrinā de Eucharistia non reijciēdam, sed instaurādam arbitramur. Quòd ad Augustanā confessionē attinet, videtur illa melius totā Eucharist. rationem definijsse, quā postea explicasse. hinc (opinor) nata infelix illa, & nullis neq; scripturæ, neq; Patrū sententijs fulcita hæresis Vbiquistarum. Proinde ad vtriusque sectæ tum Zuinglianæ, tum Augustanæ & intellectum assertionū saniorē, & dissidiorum conciliationem proderit noster, qui hunc præcedit de Eucha. mysterio liber (opinor). Restat vt hoc libro respondeam⁹ ijs, quos videor mihi audire sic dicentes. Quid ergo faciemus de pane sacramentali, quid de sancto illo munere, & quomodo, quib. gestibus, nos ad illud suscipiendū apparabimus? Omni certe reuerentia illud contrectabimus & intuebimur, nunquā verò adorabimus. Propterea cautè dixerunt Patres in concilio Nicæno. Nos non debere hęrere in pane & vino, quæ mensæ Domini apponuntur sed fide erigere corda in cœlū. hæc illi, & meritò. Nā ibi totus Christus est, in sacramēto verò ipsius quædā imago siue, vt sic dicā, portio. Proinde ad eā ore suscipiendā non apparabimus multos flores, sed multas virtutes, nō multis tædis accensis illi occurrem⁹ obuiā, sed inuisibili Deo, sursū de corde puro, cōscientia bona & fide nō ficta accendemus inuisibilē ignē. Habeat igitur suū honorē sanctæ religiōi dicatus panis ille, nō stuporē aut adorationē tanquā Deus. Suū honorē dico. Nā Aug. ad Paulinam

Vbiquistarum hæresis unde nata.

Quomodo sese gerendū in cōtrectanda et suscipiēda Eucharistia.

linam asserit quòd Apostolus indignè Eucharistiam accepisse Corinthios dicat, quoniam eam non discernebant à cæteris cibis veneratione (nota) singulariter debita. Proinde cùm eum panem non dedignatus sit & nomine corporis Christi & virtute carnis eius præsens spiritus sanctus, caueat homo ne aut per contemptum aut negligentiam iaceat conculcatus. Deniq; audiamus Tertullianum sic dicentem. Panis nostri aut calicis aliquid in terram decuti anxiè patimur. Audiamus & Origenem super Exod. hom.13. hanc reuerentiæ diligentiā approbantem in sui sæculi christianis. Volo, inquit, vos admonere religionis vestræ exemplis. Nostis qui diuinis mysterijs interesse consueuistis, quomodo cùm suscipitis in ecclesia corpus Domini, omni cautela & obseruatione cauetis ne quid consecrati muneris delabatur, ne quid in terram decidat. Reos enim vos esse creditis & recte creditis, si quid inde per negligentiā decidat. Quòd si circa corpus eius conseruandum tanta vtimini cautela (ut meritò vtimini) an putatis minoris esse piaculi verbum Dei contempsisse, quàm corpus eius? hactenus Origenes: addam & illud Augu. de verbis Domini in morte, hom. 26. Interrogo vos fratres, inquit, quid vobis plus esse uidetur, Verbum Dei, an corpus Christi? si uerum uultis respondere, dicetis, quod nō minus sit uerbum Dei. Quanta igitur cura obseruatis quādo uobis corpus Christi porrigitur, ut nihil ex ipso de manibus cadat, tanta sollicitudine obseruate, ne uerbum Dei quod uobis erogatur, de corde pereat, quia nō min⁹ erit reus, uterq;, & qui corp⁹ Christi permiserit cadere negligentia sua, quā qui eius uerbū negliget. hæc Aug. Ex quo disce an illa tempora habuerint Eucharistiā pro nudo pane aut sacro tantū, quia ad sacrū usum transfertur & accomodat', ut dicūt Zuingliani aliquot. Quocirca vt reuerentiam in contrectando pane sacra-

Indigne accepit Eucharistiā qui non eā sumit ueneratione singulariter debita.

mentali & corpore illo Domini non sine ratione exquirimus, ita maiori ratione omnē cultum externum, qui ad eum dirigitur, merito abrogandum censemus. Est enim certissimus ad idololatriam pro idiotis ingressus. Vide Liturgias veterum & nihil tale inuenies. Quinimmo vt idololatriam euitarent (referente Cabasila) paulò antequam populo ostenderent panem, innocabant solemniter Deum Patrē inclamantes: Sursum corda, & alta voce iubebant ei capita inclinare, inclinante autem populo gratias agebat. Tunc demū ad populum cōuersus, ostēdens in disco panē clamabat: sancta sanctis, accedite, qui sancti estis, ecce panis viuificus, populus tamē manet stans nec flectit genua: quod ex eo collige. A paschate .n. ad festum Pentecostes populus lege ecclesiast. nō flectebat genua in tēplo. Interim hoc fateri oportet, ꝙ summa cū reuerentia Diaconi & populus cū sacerdote stabant circa mensā Domini ob maiestatis diuinę insolitā præsentiā, cauebant tamen, ne vllo nouo & superstitioso gestu, creaturā panis viderētur adorare. Proptérea mensā in medio eccl. constituebant, non vbiq; altare lapideū versus Orientem ad murum cōstruebant. Vnde August. ad Bonifacium. Donatistæ, inquit, furore suo vulnerabant sacerdotes, & euertebant mensas. Rursus idē de verbis Domini. Christus, inquit, quotidie pascit. Mensa ipsius est illa in medio cōstituta, quid causæ est, ô audiētes vt mensā vidētes, & ad epulas nō acceditis, hęc ille, qui aliàs eā mensam vocat mensā Domini, quæ & à Chrysost. ἱερὰ τράπεζα: sed abusiuè altare, propter Ethnicos, qui vtebātur altarib. lapideis, de quib. Orig. cōtra Celsum. Accusatis nos, inquit, ꝙ nec tēpla habeamꝰ, nec imagines, nec aras. Quin ꝙ ipsa vetustas ingenua & fuci nescia, panem ad Eucharistiam pinsebat latum & orbicularem ad fractionem accommodum, quem vocabāt (vt testatur Gregorius magnus lib. 4 dialo.) coronam, adeo

Ostendebāt ueteres panē Eucharistiæ in disco, & inuitabant populum ad cōmunicandum.

Altaria lapidea non erant in tēplis tempore Aug. Chry. aut Orige. sed mēsa in medio posita.

Tēpore Orig. Christiani nec habebāt tēpla magnificè extructa, nec imagines, nec altaria lapidea.

adeò nihil in illorum Ecclesijs erat, quod ad idololatriam aut adorationem alicuius rei visibilis inuitare posset. Tantum abest, vt panem illum sursum supra humeros & caput extulerint, vt adoraretur tanquā Deus, quod hodie faciunt Pontificij. Non nego quin liceat, immò oporteat adorare ad Eucharistiam, quin quoque liceat Christiano bene instituto, aspicienti mirabili modo diuinam maiestatem cum pane coniunctam, Christum quoque ob personæ vnitatem fide veluti præsentem adorare, sed doceo vbiquitatis errorem excutere, & anthropophagiæ imaginationem euitare. Propterea dicebat Concilium Nicænum, Ne intenti simus humiliter ad propositum panem, sed sursum fide erigamus corda. Quasi dicere velit, est quidem in pane quod admirari & suscipere debemus cum latria, sed est sursum in cœlo Iesus Christus Deus & homo, à quo inuisibile illud etiam domi orantes accipere solemus. Quocirca ore quidem è manu ministri, conuersam per Dei verbum in veritatem carnis Christi excipe panis diuinam substantiam, aut vt expressè monet Ambrosius ad Heb. (ne putes in Sacramento nihil esse) in pane & vino concipe viuificatricem & conseruatricem substantiam, sed in absente iuxta corpus & euecto supra omnes visibiles cœlos Iesu Christo filio Dei, corporaliter habitantem confitere, & hîc præsentem adora diuinitatem. Hæc te sui participem facit in Sacramento, & in te verbū (modo quodam) fit caro, vt tu paulatim supra altitudinem terræ sursum eleueris in cœlum, vt ibi tandem cœnam facias cum Dei filio. Quòd si aut legisti, aut reuelatione accepisti, in cœlo esse tenebras, audacter eò tuas accende tædas: si fœdos halitus, eò dirige tuos suffitus. At si audis Dominum dicentem, Accipe & manduca, & bibe. Si non contemnis clamantem, da mihi cor tuum, & sufficit mihi, cur non obtemperas? Cur tot externis cære-

In primitiua ecclesia ad cōficiendam Eucharistiam panem pinsebāt latum, rotundum, ad fractionem accommodum. Gregor. Magnus coronam appellat.

Deo debetur cultus latriæ in Eucharistia. August. de Ciuit. Dei, lib. 10. cap. 4.

moniјs Deum tibi conciliare frustra adniteris? Verùm ne me putes Deo per externa reuerentiã inuidere, audi eruditione, sanctitate, & zelo Dei facilè superantem & tuum Scotum & Thomam de Aquin. ipsum Cyrillum libro 2. in Iohannem cap. 12. Nos, inquit, nulla corruptibili materia aut exteriore colendum esse Deum arbitramur. Dicite nunc, ô Pontificij, an in templis vllæ tunc fuerint cæremoniæ, vllæ candelæ, vllæ imagines institutæ ad Dei cultum? Sed accipite Cyprianum de hac re pulchrè quoque disserentem, vt in ore duorum stet verbum. Non decet, inquit, vt Christiana religio ornamentis visibilibus occupata in manufactis delectetur, sed ipsa templi consumptio & tabernaculi, & sancta in ruinã exposita, excellentioris gloriæ nobis intimant stabilitatem, & manẽtia in perpetuum sacramenta cultores suos ad intuitum visibilium informant, vt abstractum à corporalib. desiderium nostrũ, cœlestis domus cõcupisceret, & ambiret decorem, in qua lucerna inuisibilis sine fine coruscat, ubi sanguis animaliũ non infertur in sancta, nec sunt hæreditariæ successiones Pontificũ, sed quos dignos & idoneos diuina probat electio secundum vitæ non generis meritũ statuit sacerdotes. Hæc quidem Cypr. sed cuius doctrinæ omnia facimus hodie contraria. Cæterùm nec propterea hîc vitupero (vbi instruct⁹ erit populus) aut genuflexionẽ in templo, quæ certè debetur præsenti maiest. diuinæ, aut templi ornatũ, & pictis historijs sacris & docentẽ & decentem non auream, si velis, dominicæ mensæ structurã, quæ oportuno tẽpore cedat in pauperes, non orantis populi honestum vestimentorum apparatũ, non offerentis sacerdotis mundã aut lineam vestẽ, non cæremonias modestas ordinis disciplinæ aut pietatis cultrices, sed procul exigimus Thrasonicũ, superstitiosum, hypocriticũ, & ambitiosum apparatum. Quinimo vt potius in templo

Nulla exteriori & corruptibili materia colendus Deus.

plo Centones videātur quàm aureæ chlamides, potius cineres q̄ suffitus, potius lacrymę & vlulatus, quàm musices & organorum sonitus. Siquidē Dominum Iesum sacrificio intenti ad mortē sequimur, non ad triumphū, ad crucē, non ad nuptias, ad opprobria, non ad cachinnos. Hìc audimus eum flebili voce nos alloquentē, Filiæ Hierusalē, nolite flere super me, sed super vos & super filios vestros: si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? hoc est, si ego innocens patior, quid vos impœnitentes & peccatores patiemini? Vox certè, quæ nos ad pœnitentiam, ad misericordię opera flectere debebat. Quis Episcoporū, hanc Domini vocem audiens, non statim exillat, & abijciat magnificā illam mytram fouendæ superbię proculdubio quæsitam? Quis Abbas solis hodie verbis mundo mortuus, solo hodie nomine pauper, nō statim exurgat è voluptatum & diuitiarum cœno, & ad laborem manuum conuersus, reliqua bona nō eroget in pauperes? Quis Rex, Dux, aut Comes non demisso vultu in templū ingrediatur, qui norit se in diuinæ maiestatis horrendum impœnitentibus & superbis venire cōspectum, coram cuius tribunali breui erit assistendum, vt non solùm eorum quæ dixit & fecit, sed & quæ cogitauit rationem reddat? Quæ domicella non abijciat aureum torquem, templum ingressura, quæ mox in commemoratione passionis Christi & conspicabitur, & deprecabitur talia & tàm immania sibi quoque debita Domini Iesu & tormenta & flagella? Quæ virguncula nō tegat lugubri vestimento nitidū alioqui suum corpus, aut faciei splendorē subducat tristior, quę virginitatis & decus ipsum & exemplar, aut sanguineas è sacro corpore guttas effundens intueatur, aut eius aspexerit carnem cruci affixam, clauis perforatam, & vulneribus vndiq; laceram, vt mortificandæ carnis nostræ nobis & rationem traderet & præceptum.

Oratio Domini horrenda ad eos, qui eucharistiam suscipiunt indignè.

Gaudeat igitur, si volet, filius prodigus in mundo, fleat verus Christianus in templo, in semetipso. Offerat, qui cupit, aurea munera regibus qui ijs delectantur, at exhibeat verus Dei cultor domino Deo suo contriti cordis & iusticiæ holocausta, sciatq; summam religionis in eo esse sitam (ait Augustinus) vt quem colit, imitetur. Deniq; amice Lector, vt paucis multa complectar, vis vt debes & seruire & placere Domino, vis illi acceptum in Euangelio & necessarium ad animæ tuæ salutem cultum exhibere? fac voluntatem Domini. Vis expedita & compendiosa via noscere quæ sit illa? quam Dominus ipse docuit, & quam quoq; fecit, (ait Cyprianus) humilitas nimirùm in conuersatione, stabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis iusticia, in operibus misericordia, in moribus disciplina. Iniuriam facere non posse, & factam tolerare, cum fratribus pacem tenere. Deum toto corde diligere, amare in illo quòd pater est, timere quòd Deus est. Christo filio Dei nihil præponere, quia nec nobis ille quicquam præposuit. Charitati eius inseparabiliter adhęrere, cruci eius fidenter assistere. Quando de eius honore est certamen aut nomine, exhibere ei sermone constantiam qua confitemur, in quæstione fiduciam qua congredimur, in morte patientiam qua coronamur. Hoc est igitur cohæredem Dei esse, hoc est voluntatem Dei implere, hoc est verè & in Spiritu propositū tibi & venerari sacramentum, & adorare Deum.

Summa religionis est, eū imitari quem colis

Compendium quoddā ad Domini voluntatem cognoscēdam.

Venissem porrò nunc rectà ad tractatum de Sacrificio, nisi viderer quoque mihi audire, qui interroget de communione sub vtraque specie, quorsum dicam esse necessariam, quandoquidem qui fide apprehendit mysticam benedictionem, coniungitur & incorporatur Christo, & carnē Christi comedit in sacramento, quid igitur opus (cùm corpus non sit sine sanguine) iterum de eiusdem benedictionis efficacia bibere sanguinem de ca-

Quorsum communio sub utraq; specie sit necessaria.

de calice? Audi primùm quid Ambrosius respondeat in 1.Corin.11.Caro, inquit, saluatoris pro salute corporis, sanguis pro anima effusus est. Proinde, inquit Glossator c. Comperimus, nec vtriusque speciei sumptio potest prætermitti absq; grandi sacrilegio: nam species panis ad carnem, species vini ad animam refertur, &c. Cæterùm sint hæc hominum commenta, seriò tamen loquitur Dominus cùm ait, Bibite ex hoc omnes. Ex quo sic concludit Ambrosius (etiamsi ne tanti quidem in hac re eum faciant Pontificij.) Indignè & ad iudicium manducat, qui aliter mysterium celebrat, quàm est à Domino institutum. Non moror hîc, quid respondeant, nimirùm dictum hoc esse de Sacrificulis: ergo manducare quoq; pertinebit ad Sacrificulos, & esurire ad laicos. At quis nescit aliter factum in Ecclesia plus quàm sexcentis annis ab ascensione Christi? Hinc illa celebris Chrysostomi vox ad Cor. Hom. 18. Nō nunc tempus est, quo sacerdos potior laico eam partē mysterij bibit & comedit, de qua non liceat populo degustare, verùm omnibus vnum corpus proponitur & poculum vnū. hæc Chrys. Fatebor facilè cū Pontificijs, aliquando à Christianis sumptum panem sine vino. At ꝗ vnquam Christianus hoc fecerit in templo, cùm cœna administrabatur, probent, & cedo. Quocirca vt magnoperè peccant, qui Dei institutionē de vtraq; specie manducanda contemnunt, aut libenter omittunt, ita parū refert si vtrāq; speciem relinquas, nisi in ijs reconditū & altius mysterium consideres. Siquidem (vt acutè intellexit Orig. in Mat.) per panem quem dat Christus discipulis, mandatum includit perfectæ obediētiæ, de qua ipsemet Christus antea degustauerat dicēs: Cibus meus est, vt faciam voluntatem patris mei qui in cœlis est. Iam quis fuit illius potus, nisi incomprehēsibilis amor, quo & Patrem dilexit, & à Patre dilectus est, dicente, Hic est filius meus

Sacramentū debet sumi sub utraq; specie sub pœna grandis sacrilegij.

Potest fieri ut Christiani solū panem eucharistiæ sumpserint extra ecclesiam, sed nō probabunt, quòd in ecclesia abstinuerint à uino sanctificato.

dilectus: deinde charitas illa immensa, qua sic nos prosecutus est etiam indignos, vt nō dubitarit sanguinem pro nobis fundere, in quo remissionē peccatorum stabiliuit. Charitas igitur est & dilectio, quæ in hoc calice ad salutē & ebibenda & effundenda præcipitur, de qua in Canticis dicitur. Introduxit me rex in sellam vinariam, ordinauit in me charitatem. Iubemur proinde imitari Christum in obedientia & diuinæ Legis obseruantia, tum maximè eum ęmulari in charitate, sine qua adeò nihil proderit edisse corpus, & nescio cuius obedientię officium Christo prætendere, vt clamet Paulus: Si linguis hominum loquar, si dedero omnia mea pauperibus, si meum corpus ardeat, si quadam fide montes transtulero, charitatis autem poculum non ebibero, nihil mihi prodest. Eant igitur Pontificij, & si res sacramenti sufficiunt disiunctæ & separatæ, vt corpus possit viuere sine anima, sint etiam separata illorum spiritualia quædam alimenta obedientia & dilectio. Sin vtraq; illa sunt necessaria, quantū obsecro est sacrilegium denegare miseris ouibus signa, quas morituras aut sciunt aut scire debebant nisi habeant signata. Vis explicem paucis Lector? Frustra in manducādo, hoc est occidendo veteri Adamo tuo, frustra in obseruanda lege desudas, nisi noui testamenti beneficiū quod in effuso Christi sanguine nobis oblatum est & fide suscipias, & alijs hoc dilectionis charitatisq; donum propines. Bibite (inquit Dominus) hunc meæ charitatis sanguinem omnes, qui effunditur in remissionē peccatorum, & facite, hoc est (ait Orig.) pariter in alios effundite. Quare ergo omnes? quia salutis symbolum & remissionis qua omnes egemus peccatorum signaculum. Iam cùm in remissione peccatorū potius constet nostra iusticia (teste Aug.) quàm perfectione virtutū, potiusq; in oblatione fidei & amoris placetur Deus q̃ sacrificio iusticiæ operum

In remißione peccatorū potius constat nostra iusticia quā perfectione uirtutum.

rum nostrorum,potius etiam in bibendo sanguinē,hoc est fidei charitate iustificamur,quàm in legis mutila nostra obseruātia. Cuius doctrinæ audi celebrē testem Orig. Hom.35.super Mat. Cur,quærit, non dixit Dominus, Hic est panis noui testamēti, sicut dixit,hic est calix noui testamenti? Quia,respōdet,panis est verbum iusticiæ qua manducātes animæ nutriuntur. Potus aūt siue calix est verbū agnitionis Christi secundū mysterium natiuitatis & passionis. Quoniā igitur testamentū Dei in sanguine passionis Christi positū est ad nos, vt credentes filium Dei natū & passum secundū carnem,salui simus,non in iusticia,in qua sine fide passionis Christi salus esse non poterat,ideo dixit,Hic est calix noui testam. bibite ex hoc omnes.Bibitur quidē ab Apost. bibitur aūt ab ijs in remissionem peccatorū, à quibus & bibitur & effunditur. Si aūt quęris quomodo & effunditur? discute cū hoc verbo quod scriptū est. Quoniā charitas Dei diffusa est in cordib. nostris. Hæc Orig. qui detegit magno omnium Christianorū bono absconditū tot seculis ignauia Pontificiorū nostræ salutis mysteriū. Quod nimirum fide illa,vnde oblata oportunitate charitas emergit in operū fructus,iustificamur propter meritum effusi pro nobis in cruce Christi sanguinis,in quo Deus stabiliuit testamentū nostræ salutis. Alioqui quid sunt aliud iusticiæ nostræ nisi pannus mēstruatus? Meritò itaq; iubemur omnes bibere de calice,id est hanc charitatis Christi erga nos gratiam inexplicabilē, quæ è fuso Christi sanguine ad nos emanauit,fide & cū gratiarum actione suscipere. Deinde non solū bibere,sed & facere, pari scil. charitate hoc beneficium alijs & impendere & annunciare. Meritò igitur nobis deploranda venit superior ætas,& hęc laudibus extollenda ad gloriam Dei, quæ in cœna Domini libero ore bibens symbolum veri sanguinis Iesu Christi,salutis quoq; beneficium,& sa-

Cur Dominus nō dixerit hic est panis noui testamēti, sicut dixit hic est calix noui testamenti.

Fide, unde oblata oportunitate charitas emergit in operum fructus, saluamur.

lutis firmatum testamentum fide in anima recondit,& præ illius gaudio voluntate bonorum operum turgens tantæ charitatis Iesu Christi donum, & effundit ipsa, si opus, sanguinem fundens ad Dei gloriam,& alios id facere hortatur. Sed hîc insurget Christianæ militiæ ignauus aliquis tyrunculus,& dicet, Si non magnoperè prodest ad salutē obseruantia legis siue obedientia,quā tu escā Christi appellas, vnde & totius ecclesiæ, verùm iusti fimus in bibendo sanguine Christi, hoc est creden do quòd effuderit sanguinem pro peccatoribus,aut fideliter diligendo Deum, quod appellas bibere nouum testamentum. Ergo contra vetus Pontificū institutum bibamus de calice,& non comedamus de pane. Rectè quidē ínfers,si tempore excluderis. Cùm enim manducatio longius exquirat tēpus q̃ potatio, si in animæ deliquium incideris, nónne in os potius inijcies vinum q̃ carnes, quoniam illud citius repentè delapsas instaurat vires? Et tamen quis successu temporis panē negligat, qui vinum diligit? Sic profectò quoniā fragiles sumus, & sæpe à Deo, qui vita nostra est, veluti quodā animi deliquio excidimus per peccatū, vt etiā statim resurgam⁹, mox præcedente vera pœnitentia fidē (quę dilectionis opera parturit) ingerimus. Hęc dilectio vbi sese paululū exeruit, à Spiritu S. veluti quodā imbre rosido & cœlesti accipiens alimentū, egregij fructus & Deo gratissimi suo tempore quod parturijt exerit incrementum. Edenda igitur est caro Christi, seruāda lex, quippe eius rei cōtemptus damnaret nos, inchoanda quoq; est iusticia,& ad quendā iusticiæ finem vnicuiq; possibilem adnitendum, ait Bernar. & Basil. Verùm quia ínfantes sumus, nec possumus hunc obedientiæ totum panē deglutire, ad Christi mamillas, qui eum comedit, ad obedientiam consumatā,& iusticiā Christi cōfugimus, ipse.n.est (ait Paul.) sufficientia nostra. Interim id exiguū panis quod come-

Vera fides semper parturit bona opera etiamsi non nisi suo tempore pariat.

Contēptus obseruantiæ Legis Dei, aut affectata eius siue ignorantia, siue omißio, hominem da-

comedimus, quoniam illud fidei, & dilectionis vino mixtis diluimus, ad dei gloriam intuentes & charitate ad proximū, sufficere ad vitā æternā concludimus. Hoc est quod pulchre dicit Bernardus in Cantica. Non latuit, inquit, Dominum præceptorum & mandatorum pondus hominum excedere vires, sed iudicauit vtile, ex hoc suæ insufficientiæ illos admonere, vt scirent ad quem iustitiæ finem niti pro viribus oporteret. Ergo mandando impossibilia, non preuaricatores fecit Deus, sed humiles vt omne os obstruatur. Accipientes quippe mandatum, & sentientes defectum, clamabimus in cœlum & Dominus miserebitur nostri, & sciemus in die illa, quia non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit. Hæc Bernardus. Qui egregie taxat supercilium seu potius blasphemiam nonnullorum, qui audent venditare incredulis, & idiotis hominibus sua supererogationis opera, quique nescio de quo cōgruo & condigno æternę vitę mercedem pro suis operibus à Deo exposcunt, operibus inquam à seipsis potius extortis timore pœnæ, quàm vera erga Deum & proximum charitate, sine qua adeo omnia, quæ agimus nō sunt Deo grata, vt nobis ad mortem potius cedant quàm ad salutem. Das igitur eleemosynam? Rex es? Consul es? Dux es? Leguleus es? Medicus es, pastor animarum es? opifex es, & officii tui munia exequeris fidus & diligens (alioqui vę tibi) & pręcepta legis obediens? manducas quidem carnem Christi, sed hoc non prodest, nisi biberis sanguinem, hoc est, nisi ista fiant ex charitate, nisi eiusmodi carnes Deo inter omnia gratissimo dilectionis condimento permisceas. Hoc iusculo si tuæ mensæ careat apparatus, friget quoque Domini, qui illi assidere uult, appetitus. Vis exemplo res innotescat? Pauper aliquis clamat ad portam diuitis: extruditur frustulum panis è fenestra: hoc est qui-

mnabit quātū cūque de fide gloriatur, si talis in morte reperiatur.

Bernardi notāda cōsolatiōis plena sētentia pro Christiāis qui in mādatis Dei ambulant pro uirib. reprimens superbiā eorū qui supererogatiōis opera Deo blasphemi prætendunt.

dē Domino apponere carnē legis, sed non est apponere iusculū amoris. Verū si eū intrò vt confratrē ad mēsam tuā euocasses, & de eius paupertate diligenter inquirēs, cōsolatorias illi è scriptura sacra fregisses miscellas, mox vbi fidei domesticū inuenisses, subleuādæ quoquo mo do paupertatis eius curā subijsses, iam Domino eduliū amoris apposuisses. Iam & tu & pauper & Dominus simul de genimine vitis bibissetis, Dominus quidem in regno suo, hoc est in vobis, vos in regno Dei hoc est in dilectione, pauper in vtroque. Propterea est quod exclamat Psalmista. Beatus vir qui intelligit super egenū, & pauperem. Emphasim habet intelligit. Is nimirum est, qui ex interno dilectionis feruore non patitur sibi bene esse, nisi & proximo egenti bene sit, & ex abundanti diuitiarū suarum aceruo, illius necessitati libenter & hilariter succurrat. Qui etiā ex iusto & assiduo labore partis aliquid detrahit, quod benigne & sollicite impartiat viduis & orphanis. Qui inter conuiuiorum & epularū delicias & gaudia necessaria, non obliuiscitur lugentiū captiuorum & longæ ægritudinis tędio oppressorum. Qui denique non expectat dum pauper suam pulset domum cum ignominia & dedecore, sed pietate fratris cooperiens verenda (si modo verenda sunt) ipse pauperis domum intrat, & benigna præfatione illius verecundiam adorsus, sua munificentia latentem desolati hominis tristiciam depellit, & cordi incubantem vitæ amaritudinem demulcet. Qui quoque non fastuoso vultu exposcit, vt debitum quis & iniuriam sibi illatam petat remitti, sed accendens carbones super caput proximi, ipse prior & remittit, & nouę amicitię symbolū nectit. Idque totum facit ad Dei gloriam non suam, amore vtpote Dei ad benefaciendum allectus non timore, gratitudine animi in remissionis peccatorum beneficium aspiciens quod per Christi sanguinem obtinuit, non sicuti mer-

ti mercenarius solum præmium, & remunerationem expectans. Iterum econtra, commodè non habes vnde pauperem alas? saltem ipse ab omni peccato & graui & voluntario abstinens, verbo Dei oportunè eum consolaris, & quibus potes propter Christum mansuetudinis officijs demulces, promoues quantum vales (licet solis verbis) tacitisque precibus ad Deum fusis, tot hominũ miserias, ignorantias, carceres, morbos quos oculo pietatis intueris, supplex domino & assiduus commendas? audacter decede de vita. Nam etsi non implesti legem de manducanda carne Christi ad literam, implesti de bibendo sanguine ad spiritum. Si non habes operum iustitiam quam nunquam contempsisti, aut volens & supinus neglexisti, habes iustitiam fidei, quæ charitate terminatur. Inde accepisti vestem cœlestibus nuptijs idoneam. O ingens igitur fidei, ingens charitatis vis, quæ (vt ait Augu.) cùm nihil agit, omnia tamen agit. Nam vbi fides vera adest, quid potest deesse? vbi autem charitas inde pullulans deest, quid potest prodesse? Verum quoniam ex his pius lector colligere poterit, quorsum omni homini calix Domini sit ebibendus ad salutem, huic libro finem imponam, vt in sequenti latius de sacrificij christiani ratione dicamus.

Voluntas bene faciendi sufficit Deo ubi deest facultas.

Nam etiã pauperrimus potest orare pro alio ex corde, et hoc habetur pro eleemosyna.

Iustitia fidei supplet quod nobis deest & saluat etiam sola & per se interdum.

PRO SEDANDIS RELIGIONIS CONTROVERSIIS AD PONTIFICIOS,

Liber Tertius.

De vero vsu & intellectu, tam visibilis quàm spiritualis sacrificij Christiani, & de illius magno atque horrendo hactenus abusu.

AVTHORE IODOCO HARCHIO
Montensi Medico.



ONGI admodum sunt Pontificij in sacrificij ostendenda ratione præsertim illius, quod exterius apparet nempe panis & uini, de quo adeo nulla debebat esse apud illos spirituales controuersia, immo ne mentio quidem, ut ex eo solo uideam illos fouere iniustam causam (ni fallor) quòd adeo pertinaciter de ossibus, uti canes (sit uerbo uenia) non de medulla contendunt uti christiani homines. Vt igitur rem paucioribus absoluam, istud pro hypothesi tenemus etiam ab illis concessum, omnes eos esse sacerdotes, quotquot sacro oleo spiritus delibuti sunt, testantibus quoque id Petro Apostolo imprimis, deinde (si cui is non sufficit) Origene & Cypriano. Ergo etiam ipse populus sacerdos est, cui ex officio incumbit spiritualia offerre sacrificia, monente eos ad id seueriter & Petro & Paulo. Offerte (inquiunt) sacrificia spiritualia Deo accepta per Iesum Christum, qui & ipsi estis ædificati domus spiritualis & oblatio sancta, genus electum, regale sacerdotium. Licet igitur sacerdos minister

Oẽs Christiani sacerdotes.

nister(sic enim differentiæ gratia nominare eos oporte ret) visibili posito ad altare sacrificio panis & vini quod passionem Christi repræsentat, spirituale offerat sacrificium & spiritualiter, seipsum nimirum cum omnibus populi votis veluti quadam legatione fungens apud Deum, postulans prius contrito & fideli corde tum peccatorum remissionem sibi & populo, tum necessaria omnia emendicans propter passionis Iesu Christi meritum, quam Deo Patri veluti ad memoriam offert gratias agendo. Meminisse tamen debet se è numerosa illa populi multitudine & sacerdotum choro, illis & præsentibus & approbantibus ad hoc munus peculiariter esse electum, quia & doctissimus totius plebis, & sanctissimus, & in omni virtute eminentissimus vt requirit in Leuitico Dominus, & Leuitico consentiens ad Titum, & Timotheum Paulus ipse. Hinc monet Cyprianus libro episto. 1. In ordinationibus, inquit, sacerdotum, nō nisi immaculatos eligere debemus, qui audiri in precibus possint, quas pro populo fundunt apud Dominum. hæc ille. Proinde sicuti ciuitas aliqua læsæ maiestatis rea, merito insaniæ notaretur, quæ pro sui reconciliatione apud Regem, sordidissimum & ineptissimum è toto populo deligeret qui legatus intercederet, ita parum saperent, qui eiusmodi presbyteros ad publicā offerendorū suorum votorū functionem admitterent, qui vel ipsis porcis impuritate vitæ possint sordescere, sed quid dico saperent, immò grauissimè peccarent. Quamobrem audiamus Cyprianum eodem lib. episto. & attēde obsecro christiane lector. Nec sibi, inquit, plebs blādiatur quasi immunis à delicti contagione esse possit cum sacerdote peccatore (de enormi intelligit & noto) communicans, cùm dicat Dominus per Prophetam. Sacrificia eorum tanquam panis luctus, omnes qui mādūcant ea contaminabuntur, docens eos ad peccatum

Omnis laicus est sacerdos nō tamē minister.

Quodnā sit sacrificiū ministri stantis ad mensam Domini corā populo.

Minister debet esse doctissimus totius plebis, sanctissimus, uirtute eminentissimus & uitæ innocētissimæ.

constringi, qui fuerint prophani & iniusti sacerdotis sacrificio contaminati. Plebs namque ipsa maxime habet authoritatem vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi. Quod & ipsum videmus de diuina authoritate descendere, vt sacerdos præsente plebe deligatur. Hæc Cyprianus pontificijs quoq;, sed surdis. Siquis minus fidit Cypriano dicenti ex institutione Dei esse vt populus eligat Episcopum, audiat id seriò pręcipi à Clemente in constitutionibus Apostolorum græcè editis, & scholijs illustratis à quodam Francisco Turriano non indocto Pontificio & impio, si Dei zelum haberet secũdum scientiam. Constituite, ait, Episcopos (plebem & clerũ alloquitur) presbyteros & diaconos, homines iustos, mites, qui valeant docere verbum Dei, iustos, probatos, sanctos, vos verò honorate eos vt patres. hæc lib. 7. cap. 32. Qui rursus constanter idem pręcipit lib. 7. cap. 2. Ego Petrus dico, inquit, Episcopum ordinari debere omni ex parte reprehensione carentem, ab omni populo electum &c. Hoc vt paucis concludam: accipe quid Leo. 1. scribat ad Narbonensem Episcopum. Nulla ratio sinit, inquit, vt ij inter Episcopos habeantur, qui nec à clero, nec à plebe sunt expetiti, vnde cùm quæstio de male accepto honore nascatur, quis ambigit nequaquam talibus Episcopis esse tribuendum, quod non docetur fuisse collatum. hactenus ille. Quæ propterea adduco (dixi enim de ea re plura in alio libro) vt nostris hodie Episcopis sui pudorem aliquem (si modo quis adhuc superest) incutiam, qui vt à populo electi nõ sunt, ita vt viderentur aliquod excellentius aut maius prępopulo habere sacerdotium, præ illo quoque excellentius ad celebrandum mysteria induerunt vestimentum. Et vt seipsos populo ad adorationem quandam veluti exponerent, nescio quę superbiæ (humilitati noui testamenti haud ferenda certè) tum nomina, tum ornamenta bysso

Plebs ex Dei authoritate habet authoritatẽ eligẽdi bonũ sacerdotẽ aut recusandi malum.

so & auro contexta ex veteri lege citra legem Dei resum pserũt. Quæ etsi fucato verborum lenocinio ad Dei honorem retulerunt, experientia tamen probatum est subsequente, eos illa ad sui ambitiosam tantum ostentationem conuertisse. Sunt enim apud illos ita sacrosancta vt populo illa ne attingere quidem liceat, nisi osculo & flexione genuum prætentata. At quid ista ad spiritualia sacrificia? quid ad Deum, qui hodie externa negligit, interna concupiscit, quoniam omnis decor filiæ Regis abintus. Deinde quid ad vos ô Pontificij, quid ad vos ô Euangelici? nam & hic liber ad vos quoque, qui si veri discipuli Christi estis, veri dispensatores & fideles mysteriorum ministri, post hanc quidem vitam ob munus sacerdotij ministerijque fideliter expletum ampliori gloria præ populo in cœlis refulgebitis, sed tamen si memineritis quòd in hac vita populo tantum ministratis, & exemplar tantùm veræ viæ, vitæ, & doctrinæ Christi illis sufficitis, non imperij & dominationis. hinc Origenes in Esaiam cap. 6. Qui vocatur ad Episcopatum (inquit) non vocatur ad principatum, sed ad seruitutem totius ecclesiæ. hæc ille. Cui adde illud Chrysost. hom. 12. ad Ephe. Non dominamur fidei uestræ charissimi, inquit, sermonis nobis doctrina commendata est non principatus nec potestatis authoritas. Ordinem tenemus cõsulentium, qui consulit, non cogit, in hoc culpabilis, si non quæ decent & oportet, pastor dixerit. hæc ille. Quis alioqui (inquit Dominus) est maior qui ministrat, an qui recumbit, nónne qui recumbit? & quis recumbit, nónne populus cuius uos estis ministri & de quorũ laborib. uiuitis & uitã sustentatis. Quæ igitur uos uestri capit obliuio, ut uelitis uideri Domini imperare tãquã subditis, & carcerib. includere tanquã maleficos, quos tãtũ Domini uoce, authoritate, uinculis, promissis & ligare & soluere, eternę aut dãnatiõi. aut saluti deuouere

Pulchritudo filiæ regis hoc est ecclesiæ & christianorum sita esse debet in corde puro conscientia bona, & fide non ficta.

Qui uocatur ad Episcopatũ nõ uocatur ad principatum sed ad seruitutẽ totius ecclesiæ.

aut debetis, aut potestis? Proinde quòd ad visibilia attinet, minores estis populo quia ministri, superiores certe (si quis spirituale munus vestrum spectet) quoniam & Angelorum socij, & vox Dei, & immaculatæ vitæ Christi æmuli. Vnde est quòd quoniam magna pars populi rudis est, & terrenis rebus occupata, nec subtilitate cõtemplationis possibile est illi semper assurgere ad veræ vitæ & morum typum Iesum Christum, vos ipsos veluti altera & expressissima quędam visibilis imago Iesu Christi, constituitis, & præsentatis oculis illorum, vt in vobis discant quid singulis desit, vtque vestræ vestis nuptialis conspecto candore, ipsi propriæ vestis quam non minus albam acceperunt maculas negligentia contractas expungant, aut à vobis expungendi modum discant. Denique vt ex vestro gestu, moribus, vitæ ratione, & quotidiana conuersatione instituātur suam accommodare vitam. Proinde si ideò mytram & annulos gestatis sacrificaturi, quia ministri estis, multo maiori ratione eam populus gestaret, quia ipse est qui recumbit. At si idcirco eam prætenditis (quod vestri Pontificatus maximum decus est, & propter quod ipsi maxime omnibus reuerendi) quia (vt in Leuiticum exponit Origenes) in cognitione rerum diuinarum populum excellitis, addi tis & zonam, quia superatis castitate. Rursus & logium, & manifestationem humeris vestris laborum patiētissimis super imponitis, quoniā prędicationis verbi Dei & gloria & assiduitate fulgetis. Deniq; tunica vna alba eáq; nitida super induimini, qa & vitæ innocētia, & morū cādore, & spiritualis vni⁹ sacrificij oblatione deuotiore & excellētiori eū superatis, qd opus externis earū rerū signis, quando hoc ipsi internæ externæq; cõuersationis vestræ experimēto satis & didicerint, & in vobis fuerint admirati & reueriti? At si mentimini, si hederam foris prætenditis & vinum intus non sit uenale, lanam quo-

Dignitas ministrorum spiritualis maxima.

Quid designet mytra in Pontificijs, quid Zona, quid pallium, siue logiū, quid alba tunica & linea.

quoque extorquetis,ouium curam negligitis,quid hypocritæ Ecclesiã occupatis?(sit hoc vestra pace dictum) Quid cæremonijs,vmbris,ignota lingua, vestibus,fictis benedictionibus, quid, inquam, eiusmodi laruis populum detinetis,& quæ ad populi faciunt salutem supprimitis? Quòd autem supprimatis,audite ex Gaudentio illo D. Ambrosij coætaneo. Necesse est,inquit, ista vitæ æternæ mysteria celebrari per vniuersas totius orbis Ecclesias,vsq; quo Dominus de cœlis adueniat. Quo & ipsi sacerdotes,& omnes pariter fidelium populi exemplar passionis Christi (Eucharistiam intelligit) ante oculos habẽtes quotidie,& gerentes in manibus, pectore etiam atq; ore sumentes, redemptionis suæ incredibilem memoriam teneant,& cõtra diaboli venena dulcem medicinam consequantur. Auditis Pontificij? Primùm non secus populus atq; minister tenetur celebrare ista mysteria,facere missam(si velis)& non solùm audire: tenetur,inquam,offerre hæc visibilia sacrificia. At quomodo offeret,qui offerendi modum nunquam didicit? Deinde, ait, oportet eũ semper ante oculos habere, & quotidie tenere in manib. tum sumere ore Eucharistiam. Si oportet, quæ vos dementia vexat,vt ne altare quidem, aut corporale(quod vocant)populum attingere permittatis, multo minus panem atque calicem sacrosancta antitypa corporis & sanguinis Domini? id quod olim illis licuisse testatur Eusebius Eccl. histor.lib.6.cap.33 per hæc verba.Cùm Nouatus,ait,populo diuideret Eucharistiam, accipientiũ manus tenens, non prius dimisit quàm iurarent per ea,quæ quisq; manibus tenebat,quòd nunquam se relicto ad Cornelium remearent. Hæc ille. Sed audite Basilium in Epistola ad Cæsariam,quidnam dicat quibusdã superstitiosulis,qui non audebãt suscipere Eucharistiam manibus proprijs. Etenim, inquit,& in Ecclesia sacerdos dat partẽ Eucha-

Populus obligatur etiam celebrare missam (ut uocant.)

ristiæ,& accipit eam qui suscipit cum omni libertate, & ipsam admouet ori manu propria. Idem igitur est virtute, siue vnam partem accipiat quis à sacerdote, siue plures. Omnes enim in eremis solitariam vitam agẽtes, vbi non est sacerdos, communionem domi seruantes à seipsis communicant. Hæc Basilius. Nota igitur amice Lector hunc locum, quem antea quoq; citauimus, & ex eo iudica, num Eucharistia circũgestabatur à sacerdotibus in pompa ad adorationem, quam tàm libere licebat omnib. sutoribus & sartoribus, & manu accipere, & domũ deportare, iudica obsecro, an habuerint Eucharistiam pro Deo, aut verè pro Christo. Sed ne putes hoc excidisse Basilio aut Eusebio, & dicas fuisse abusum, audi quomodo Constantinop. Concilium 6. minetur ĳs, qui alio instrumento quàm proprijs manib. vellent sumere Eucharistiam, diabolo iam tum spargente semina idololatriæ. Nullo pacto, inquit, admittimus eos, qui loco manus propriæ cõficiunt instrumenta aurea aut alterius materiæ ad suscipiendũ sacramentum, quasi potior sit metalli species quàm imaginis Dei: si quis ergo sacerdotum talem admiserit ad cõmunionem, maneat excõmunicatus. Audis Lector? Sed ad quid, dices, iuuat, vt populus teneat manib. Eucharistiam? vt (ait Gaudentius) redemptionis suę incredibilem memoriã teneant, & contra venena diaboli dulcem medicinam capiant.

In Conc. Const. 6. uetitum, ne quis alio instrumento aut aureo aut argenteo sumeret eucharist. quàm propria manu

At rursus dicet aliquis, si tantarum rerum thesaurus, si tam preciosa margarita, tam præsentaneum ad omnia tum corporis tum animæ mala remedium committetur manibus & custodiæ populi, quid valeret in posterum sacerdotũ negotiatio? quid prodessent ceremonię illæ inutiles, aqua benedicta, à maledictis consecrata, indulgentiæ, benedictio Episcopalis, peregrinatio, cultus imaginũ, inuocatio sanctorũ, sal, flores, herbæ benedictæ, & eiusmodi, quæ ordinata habent in sua ecclesia ad pel-

Tenendum sacramentum in manu, ut memoriam teneamus paßionis Christi in mente.

pellendum diabolum, ad remissionem venialium peccatorum, ad morbos curandos & eiusmodi, cùm multo facilius & efficacius tenētes quodammodo manib. in pane & vino omnium rerum dominū sacramento præsentem semper per suæ diuinitatis gratiam, & fide possent ea omnia obtinere, & charitatis oratione cōsequi? vis dicam? nihil omnino à talib. saltē consecrata ea, quę narras valerent. Et hoc est, quod timet diabolus, ne illa consuetudo rursus inualescat in populo, qui tali veluti scuto armatus & munitus nō possit amplius ad infidelitatis & idololatriæ fraudes adduci. Cæterùm quanta cum Dei indignatione hæc cōsuetudo sublata sit ab Episcopis, sciunt qui defuncti sunt, & aliquādo scient qui hodie viuunt. Experietur quoq; & populus, nisi veluti postliminio ad pristinā consuetudinē redeat, & impolluto corde, labijs, manibus, horrenda alioqui mysteria contrectet, tum quoq; offerendi sacrificij modū discat, & vsum quotidianū (si fieri potest) resumat. Esto, nō sit populi sacrificiū tàm operosum foris quàm est sacerdotis pontificij, nō sit tot cæremonijs, tot crucib. adornatum, tot vestimentis decoratum, tanta manuū & capitis gesticulatione prodigiosum, potest tamen plebs hæc omnia precū efficacia superare, si suum mysterium intelligit. Impetrabit forsitan plus pastoris sacrificium, si plus habet sanctitatis, sed non minus aspicient oculi ad plebis sacrificium, si serias obtulerit preces humilitatis. Orat & offert sacerdos pro tota plebe, plebs ettiam orat pro toto sacerdotio (vt ait Augustinus.) Offert pastor sacrificium precum & passionis Christi memoriam pro omnibus Christianis, omnes etiam Christiani offerunt pro vniuersis pastoribus, & eorum oblatio acceptior est Deo, quorum vita sanctior, fides purior, charitas intensior. Cuius rei habe exemplum in Diuo Gregorio Magno Homil. trigesima septima.

Causa cur Episcopi noluerint populum amplius capere manu Eucharistiam.

Offert sacerdos pro tota plebe, tota etiā plebs orat pro toto sacerdotio. Hinc sacerdos dicit, Orate pro me fratres, ut meū & uestrum sacrificium sit Deo acceptum.

Toties, inquit, mariti cuiusdam mulieris captiui soluebantur vincula, quoties ab eius vxore oblatæ fuissent hostiæ pro eius animæ absolutione. En Lector mulierem offerentem ad altare, licet nõ stantem & ministrantem, quòd ad mulieres non pertinet fungi scilicet aliquo externo ministerio circa altare, sed quod ipsa obtulerit hostias & maxima impetrauerit per fidem licet: habes. Quod ideò narro, ne quis ociosus in posterũ aspiciat sacerdotẽ aut orantem, aut passionis Christi memoriam Deo patri offerentem. Commune enim semper fuit in vera Dei Ecclesia, & populo æquè ac sacerdoti vsitatum sacrificium, (si principale spectes) differt tantum ex hominum temeraria & ambitiosa forsitan institutione. Tantum dico, ne quis putet ad salutẽ necessarium aliud fieri in sacrificando aut consecrando quã quod à Paulo recitatur ad Cor. dicente: Fratres, ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis, &c. Id ne quis me putet fingere, audiat quid ipse Bessarion insignis alioqui Pontificius & Patriarcha Constantinopolitanus de ea re ex Chrysostomo & alijs asserat. Paulus, inquit, tradidit nobis ea quę acceperat ab Apostolis non verbo tantùm docentibus, sed demõstrantibus opere, & ea sola tradidit, quæ Apostolos facere vidit, nam si plura facere in missa vidisset, ea quoq; tradidisset. Nihil autem in ea epistola dicit amplius nisi Dominum Iesum accepisse panem in manus suas, & cùm benedixisset dedisse discipulis suis atque dixisse, Accipite, hoc est corpus meum, bibite, hic est sanguis meus, &c. Quòd si postea siue Clemens, siue Iacobus, siue alius quisquam alias orationes, hymnos & cantica addidit, non ad necessitatem, sed ad ornatum addiderunt. Nam cogitemus Apostolos in memoriam Christi sacramentum altaris conficere voluisse in ipso passionis die, nõ alio modo alijsúe verbis fecisse æstimandum est, tum communibus vestibus

bus indutos (quod diu postea obseruatum est) & post cœnam. Proinde quæcunque postea addita sunt præter ea quæ narrat Paulus se accepisse à Domino, minimè sunt necessaria, ex quibus si quid iusta necessitate prætermittatur, nulla iactura est, dummodo sacerdos sit legitimè ordinatus, & conuenientem materiam habeat panem & vinum. Nam modus consecrationis est accipere panē, gratias agere, frangere, & dicere hoc est corpus meum, accipite & manducate. Et quid horum consecrat diuinissimum illud munus? profectò non acceptio panis, hoc enim est subiectum consecrationis, non gratiarum actio, non fractio, quarum altera ad commemorationem innumerabilium beneficiorum Dei, altera ad distributionem est necessaria. Superest igitur vt verba illa consecrent, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus. Neq; quicquā ad hoc perficiendum aut oratio valet sacerdotis, aut sanctitas conducit, aut minuit indignitas. Vnde Chrysostomus de proditione proditoris. Adest nunc quoque Christus, inquit, qui illam mensam fecit, ille etiam nunc ornat, non enim est homo, qui hæc munera facit carnem & sanguinē Christi, sed qui pro nobis crucifixus est Christus. Figurā quidem implens astat sacerdos verba illa pronuntians, potestas verò & gratia tota Christi est. Hactenus Bessar. Quem si audiunt aut admittunt Pontificij cum Chrysostomo, quid tam taciti ergo insufflant, & verba Domini veluti per susurrum enunciant? Nónne clara voce dicebat Apostolis Dominus, Hoc est corpus meum, accipite, manducate? Cur igitur non idem faciunt conuersi ad populum, qui nisi Dominum audiens, Domino fidem adhibeat, non illi saltem profuerit suscepisse sacramentū, cum quo non suscipit & verbum. Nam cùm verbo Dei instituto semper adsit Spiritus sanctus, aufer verbum, & solū manet elemētum. Verba quidem Chri-

Christus adest cœnæ per uerbū suum et per Spiritum.

sti semper sequitur, & manet effectus, sed id nõ in adulto, cui deest mysterij intellectus, ne quis postea nobis obtrudat Pontificium illud tritum axioma: Sacramenta prodesse adultis ex opere operato, non ponentibus obicem gratiæ Dei, quæ illis offertur. Id quod sequentibus verbis planè negat August. cõtra Donatistas, lib. 4. cap. 4. Infantibus, inquit, qui baptizantur & moriuntur, gratia omnipotentis supplere credenda est, quod nec corde credere ad iusticiam, nec ore cõfiteri ad salutem possunt per ætatem. At si pro eo qui respondere potest, alius respondeat (nota) non itidem valet, ex qua regula dictum est illud, Aetatem habet, pro se loquatur. Hæc August. Cùm igitur nõ sufficiat adulto, si in fide Ecclesiæ (vt dicũt) & in simplicitate sumat sacramentũ, vt inde consequatur effectũ, necesse est vt in propria fide accedat: at cũ fides habeatur per verbũ Dei, necesse est vt audiat verbum. Oportet igitur vt verba cœnæ pronuntientur alta & intelligibili voce. Hinc est ꝙ Iustinian. legem tulit, vt episcopi & pastores omnes oblationẽ faciant Eucharistiæ, & ministrent baptismũ alta & intelligibili voce, vt audiretur ab omni populo, & per hoc ad pœnitentiam inducatur & gratiarum actionẽ. Deinde ne putes id in vna prouincia factũ, & vni episcopo dictum, subijcit Lex dicens, Hanc legẽ visum est omni terrarũ orbi ponendã. En lector, iudica an Iustin. habuerit Papam pro capite totius orbis in dominandi autoritate, licet non negẽ, quin sit (ritè electus) in excõmunicandi charitate, cui audet imponere legẽ penè ecclesiasticam: sed redeo in viam. Adeò certũ est igitur, cæremonias, quæ in Liturgijs Patrum, in singulis tamẽ & singulares & diuersissimæ fuerunt, nõ esse necessarias, vt Ecclesiast. hist. viderit altaria versa & spectãtia ad occidentem. Iustini Liturgia cæremonias nullas habuit. Tempore Orig. nullæ imagines, nullæ candelæ (nisi ad solatium

Iustinianus legẽ tulit, ut Baptismus & cœna Domini celebraretur alta & uoce omnibus nota.

Olim Christiani orabant spectantes ad occidentem.

tium noctis) nulla altaria lapidea in Ecclesijs erant. Deniq; quicquid postea introductū est, quod humanę fuerit inuentionis & non Apostolicæ, ipsemet Basil. de S. S. testatur dicens. Neq; enim sumus cōtenti ijs, quæ Apostolus & Euangelistæ nobis tradiderūt de Cœna Domini, sed multa & pòst & antè dicimus multū momenti ad mysterium habentia, &c. Sic Euseb. l. 5. Euan. demon. Sacerdotes, inquit, spirituale munus suū obeūtes secundum Ecclesiasticas cōstitutiones pane & vino corporis & sanguinis Christi mysteria repræsentant. En iterū Ecclesiasticas constitutiones. Deme igitur illas, quæ si ob charitatē institutæ sunt, possunt & ob eandem aufferri, ait Bernar. l. de Dis. & Præc. quid restabit, nisi spirituale sacrificiū quod mente fit, signantib. illud pane & vino, oblatis ad altare, tàm à populo, quàm à ministro. Proinde cùm Pontificij subtraxerint à laicis sacrificij cōsuetudinem & intellectum, non sine causa Euangelici eos fugiunt, & humanis traditionibus missæ (vt sic dicam) omissis (quòd magis hodie obsint quàm prosint) iuxta Dei & Apostoli doctrinā cum tota fraternitate cœnam Domini celebrent. Legite, ô Pōtificij, Liturgiā Iustini, & putabitis institutā fuisse à Caluino. Legite & eam quæ fertur Iacobi, & quid precor differt ab ea quā instituit Lutherus? Vestra ex diametro pugnat cum vtrisq;, cùm fiat priuata & ignota lingua, & præter impia quæ cōtinet forsitan (nam in ea inuocantur sancti, quod Aug. de Ciuitat. Dei seriò cauet ne fiat) partem etiam sacrificij populo detrahit, quo sacrilegio nō potest maius excogitari. Nā cùm antea dixerimus, ꝙ in pane populus offerat corpus suum Deo, in vino suam animā, petens vt Domin⁹ velit illis benedicere: cūq; dominus eadē oblata illis remittēs dicat, quia vos tā beneuolo corde vos obtulistis mihi in laudis & obedientiæ sacrificium, en ego quoq; offero vobis corpus & spiritum meum, siue

Nominandi Sancti in sacrificando, sed nō inuocandi, inquit August.

sanguinem: comedite, bibite illa ad refectionem salutarem corporis & animæ, certum est, quòd magni sacrilegij reus sit sacerdos, qui eripit misero popello bolum è faucibus veluti, dicens ex Aristot. Frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora. Cæterũ quàm hæc vera sint iam declarandum, & quàm hallucinemini in sacrificando ostendendum. Notet igitur attentè pius lector, & sciat ad se quoq; pertinere quæ de sacrificãdo dicuntur. Nã & populus cùm sit sacerdos sacrificare etiã tenetur sub pœna æternę damnationis, ne q̃s putet in posterũ in cœna domini nullũ esse sacrificiũ, quod ab Euangelicis aliquot (doleo) nimis impudenter aut negatũ aut omissum, neq; in Catechismis explicatũ. Scio quòd solus Christus sit sacrificium propitiatorium, solus interpellans Patrem pro peccatoribus cum indubitata efficacia. Nam, vt ait Augustinus contra Epistol. Parme. lib. 2. cap. 8. pro quo nullus interpellat, sed ipse pro omnibus, hic vnus verusq; mediator est. Vnus proinde & solus Christus tale est sacrificium, cui hoc munus soli competit, à nemine mortalium citra mortem vsurpandum. Etenim vt ibidẽ dicit Aug. Si diceret Apostolus, Hoc scripsi vobis fratres, vt non peccetis, & si quis peccauerit, aduocatum siue mediatorem me habetis apud Patrẽ, ego exoro pro peccatis vestris: quis eum ferret bonorum atq; fidelium Christianorum? Quis sicut Apostolum Christi, & non sicut Antichristum intueretur? Hæc Augustin. qui apertè indicat soli Christo competere reconciliandi & mediatoris officium. Nemo interim negabit, & populo & ministris nouæ legis præter laudis precũ eleemosynę specialia duo alia esse & commissa & præcepta sacrificia, quorum vnum est oblatio corporũ suorũ, iuxta illud Pauli, Offerte corpora vestra Deo hostiã viuentẽ. Alterum Passio Iesu Chr. & beneficiorũ eius in nos cõmemoratio, iuxta illud Christi, Hoc facite

Diligenter docendus est populus, quale sacrificiũ debeãt Deo in cœna offerre.

Nullus mediator nisi Christus, nota, et tamen in Euang. est uisibile & typicum sacrificium aliquod.

facite in mei memoriam. Iam cùm iuxta duplicem ana logiam scripturæ consonam, panis siue Eucharistia repræsentet & fidelem populum, hoc est corpus Christi mysticum & naturale, quod mortem pro nobis subijt, nec male, nec impie (ut mihi uidetur) minister in perso na populi in pane, & uino offert se cum populo Deo patri, & postulat recipi in gratiam propter Iesum Christū, cuius ipse minister cum populo passionis memoriam Deo Patri ueluti refricat, quæ nobis propitium reddat Deum. Quo respectu, sacerdos olim sursum panem eleuabat, non tamen ut adoraretur (sicut dicunt Pontificij) Quoniam in sacramento quod offertur ab ecclesia, ostenditur ipsi ecclesiæ (uerba sunt Augustini) quod in ea oblatione ipsa offertur. Hinc (ut idem contra Paganos dicit) Sacrificium uniuersale ecclesia uniuersalis offert per Christum, qui se pro nobis obtulit Patri in cruce, ut tanti capitis corpus essemus. Sic igitur sanê intelligentes omnia, facile recipient modestiores euangelici ut expressè facit Apologia Augusta. cōfessionis, quæ ne panis quidē oblationē per similam in Leuit. signatā respuit, quod Pontificij (& præsertim Lindanus quidam in sua Panoplia) adducunt ex Ireneo dicente: Sed & suis dans consilium Deo offerre de suis creaturis non ut indigenti, sed ut & ipsi nec infructuosi, nec ingrati, sint, eum qui ex creatura sua panis est accepit & gratias egit, dicens, hoc est corpus meum, & noui testamenti nouam docuit oblationem, quam ecclesia ab Apostolis accipiens in vniuerso mūdo offert Deo. Hunc igitur (Lindane) recipimus, & eius præceptum exequi statuimus, sed lōge alio modo quam vos (vt postea dicemus) Recipimus quoque & id quod adducis pro te, verum contra te, ex Eusebio lib. 1. cap. 10. Euange. demo. Post omnia (inquiens) quasi mirabilem quandam victimā Deo immolans patri pro nostra omniumque salute ob

Duplex analogia in pane Eucharistiæ.

Sursū olim panē eleuabāt nō ut panis adoraretur sed ut populo ostenderetur quod ipse esset qui offerretur.

Augustana confessio panē & uinū admittit esse sacrificiū eccle. modò illi iungas. fidē, inuocationē, laudē Christi passionem &c. quod ab illis catholicè dictum est.

Contra Panopliā Lindani.

tulit, eiusque rei memoriam vt nos ipsi Deo pro sacrificio offerremus instituit? Proinde vt horum testimonia in tuum caput retorta, omnem subterfugij ansam tibi præripiunt, ita nostram causam qua sacrificium ad populum etiam pertinere dicimus, mirè confirmant. Porro niteris longa & tędiosa oratione ostendere, sacerdotem verum corpus Christi offerre quod habet in manibus, & esse propitiatorium opus illud pro viuis & defunctis, nec in hoc idololatriam & sacrilegium committi. Sed age & quod Dominus suggerit (opinor) proferamus. Accepit Iesus panem & vinum, hæc offert Deo patri, dem⁹ hoc vobis. Id & vos facitis iuxta traditionē, & forsitan bene facitis, nisi aliò spectaretis. Nā vt tu teipsū apud Vannium quedā ab idololatria vindices, dicis te aspicere (veluti prælud io quodā rem anteuertens) ad corpus Christi, quod mox consecrabitur. Verum si sapis, continebis te in pane nondum consecrato, vel saltem mystico facto per cōsecrationem, sic enim vel ego vtcūque tuam causam iuuare possum. Nam si expressis verbis Ireneus affirmat, Deum pręcepisse, vt illi offeramus de suis creaturis, & vos dicitis panem non manere post consecrationem, ergo tu tibi ipsi & Ireneo contradiceres, qui non offers creaturam, sed creatorem. Siue enim panem offeras ante, siue post cōsecrationem, creatura est & manet, licet solemnis & incruenta, (ait Ambrosius) quem etiam post consecrationem antitypum veri corporis Christi vocat ipse Clemēs Petri successor vt volunt quidam, his verbis lib. 7. cap. 26. constit. Apostoli. Gratias agimus tibi Pater pro precioso corpore Iesu Christi cuius hæc antitypa facimus. hæc ille etiam post consecratam hostiam. Idem dicit & Basilius in sua Liturgia. Retracta ergo illud tuum dictum & dicamus verè nos & vos cùm offerimus, respicere ad panem ipsū vel vt est creatura, vel sacramentum creatoris: vtriusq; enim nos admonet panis. Vt nimirum offeramus crea-

Deus instituit offerri sibi memoriam suæ mortis pro sacrificio.

turam nos ipsos scilicet petentes nobis & corporalia & spiritualia dona, deinde creatorem omnium nostrum filium Dei Iesum Christum. At (quod vestri erroris sũma est) creatura offertur, vt suscipiatur in gratiã à patre, fili⁹ Dei vero Iesus Christus, ut propter eum & merita suæ passionis suscipiatur misera alioqui creatura, quorum neutrum est in pane oblato, sed in mente offerẽtis, licet per panẽ designetur. Id quod nota bene amice lector, ut fundamentũ iacias oblationis noui testamenti, & sequentia melius intelligas: nam propterea dicitur sacrificiũ christianorũ esse spirituale, siue mentale, de quo sic Clemẽs lib. 8. consti. Apost. Primus Põtifex Christus, qui propter nos factus est homo spirituale sacrificiũ obtulit Deo Patri ante passionẽ. Et idem ut facerent Apostoli præcepit. Veniamus igitur ad panẽ, qui oblatus huius sacrificij spiritualis sacramentũ est & qui foris offertur Deo imprimis à sacerdote pro omni populo, sed cuius reliquiæ cederent tãdem in eleemosynam aut cleri, aut pauperum. Id quod innuit August. de rectitudine cath. fidei dicens. Ille bonus est christianus, qui ad ecclesiã sæpius uenit, & oblationẽ, quæ offeratur Deo in altari exhibet, qui de fructibus suis non gustat, nisi prius offerat. Talia ergo munera, tales eleemosynę offerũtur Deo primũ pænitẽti & fideli corde ad implorandã remissionẽ peccatorũ, proq; felici successu rerũ nostrarũ propter Iesũ Christũ, sic. n. habet Liturgia Iacobi in initio. Vt (ait) pura cõsciẽtia tibi Deo dona offeram⁹ & munera, simul & fructuũ oblationes, ut ea q̃ admisim⁹ deleãtur delicta & ut toti populo tuo sis propiti⁹ gratia & benignitate filij tui. hæc ille. Cæterum ne hoc putes, ad solum Episcopum, sacerdotem, presbyterum, pastorem, aut ministrũ (his enim nominib. indifferenter vtor, ut uniuscuiusq; stomacho seruiã) pertinere, ut hæc uisibilia offerat Deo licet nomine omnium loquatur & oret, sed ꝙ etiã & id populo incũbat, audi quid eadem Iacobi liturgia dicat.

In missa offertur quidẽ & creatura, id est quilibet fidelis & creator filius Dei, cæterũ creatura ut suscipiatur, filius Dei ut propter eum suscipiamur, quorum neutrum est in pane oblato, sed in mente offerentis.

Oẽs olim christiani initio cœnæ offerebant aliquid ad altare in usũ pauperum & pastoris.

Præterea meminisse digneris Domine eorum qui has oblationes obtulerunt hodierno die ad sanctum altare tuum,& pro quibus vnusquisque obtulit, vel (nota) in mente habet offerre. Vides lector quòd non solum sacerdos habet suum memento, sed etiam & populus, id quod hactenus bis miser ne per somniũ quidem cogitauit. Cæterùm latet in hoc pane, in hac externa oblatione mysterium, quod nec intellexistis hactenus (mi Lindane) nec populum docuistis, nec etiã facile à quouis eruitur. Vnde est quod idem Iacobus exclamat in sua Liturgia dicens. Et reuelans inuolucra ænigmatũ, quæ symbolicè hoc sacrificio circundantur, clarè nobis ostende,& imple oculos nostri intellectus luce illa incõprehensibili &c. Audis in hoc pane & vino & in hoc sacrificio subesse ęnigma? Videamus igitur an Oedipum sufficere possimus Deo iuuante. Panis (scis credo) duplicem habet analogiam (vti diximus). Vnam qua respicit & denotat Christum caput ecclesiæ, de qua dicebat Augustinus in Ioan. 45. fide manente signa sunt variata. Ibi petra Christus, nobis Christus, quod in altari Dei ponitur. Altera analogia est qua respicit ecclesiam & singula eius membra fideles scilicet omnes, de qua & August. in quodam sermone dicebat. Quod heri accepimus fratres, hoc sumus nos. De vtraque vero dicit Augustinus sermone ad infantes. Mysterium vestrum in mensa positum est, mysterium Dei accipitis.

Populus debebat etiam habere suũ memento.

Sicut petra Christus ita panis altaris est Christus in signo scilicet in figura, aut sacramento.

Panis igitur, quæ est creatura primum offertur. Sed quia in pane designatur ecclesia & singula eius membra, ecclesia quoque cum eius singulis membris Deo offeruntur & commendantur precibus singulorum.

Iam quoniam membra ecclesiæ constãt corpore & anima, corporalia quoque & spiritualia ibi offeruntur. Corporalia inquam, vt sunt eleemosynæ, primitiæ fructuum, consolatoria verba, pacifica cõsilia, reconciliationes

tiones mutuæ, hoſpitalitatis officium, & eiuſmodi exter na pietatis ſacramenta, quibus & ipſi pauperes olim ale bantur & miniſtri. De quibus ſacrificijs dicebat Paulus ad Hebræos. Munificentiæ & hoſpitalitatis nolite obliuiſci, talibus enim hoſtijs placatur Deus. Aequũ igitur eſt, vt qui miſericordiam venimus imploraturi, miſericordiæ quoque ſacrificia immolemus. Hæc erat laudatiſſima conſuetudo eccleſię primitiuæ qua neminem patiebãtur mendicare, neminem egere, honeſtum ſaltem & fidelem. In talibus pauperibus alendis vt chriſtiani ſe tum exhibebant & hilares & liberales, ita in diſtribuendis eleemoſynis oblatis ſtrenui erant, diligentes, & fideles Epiſcopi & Diaconi. Verùm hodie (proh dolor) bene ſaginatis Abbatibus, Epiſcopis factis ditiſſimis ex talibus eccleſiæ prouentibus, Diaconis quoque & paſtoribus, demum & Canonicis, tali iam pinguedine & fulgentibus & turgentibus, quin & admirabili dæmonis ſubtilitate in eiuſmodi verorum & miſerabiliũ pauperum fidelium locum (prætento ſceleratiſſimo paupertatis voto) ſubrogatis Minoritis, Iacobitis, Carmelitis, Ieſuitis, Brigittinis, Chartuſianis & eiuſmodi hominum otioſis monſtris, validis tamen omnibus & robuſtis, nec vlla aut vitæ, aut corporis conditione miſeris, Deus bone quot alioqui honeſtæ puellæ ob inopiam ſeſe proſtituerũt? quot laqueo aut violenta morte ſibi ipſis mortem conſciuerunt? quot ſe latrocinijs addixerunt? quot Deum abnegarunt, quot ſeſe denique æternùm perdiderunt egeſtatis & afflictionum impatientes? Viderunt quidem quotidie certatim offerentes ſacerdotes fruſtulum panis in eccleſijs, eleuanteſque illud ſupra caput, audieruntque Dominum cui offerebatur clamantem. Hoc facite, ſed nemo intellexit aut voluit intelligere. Nam Dominus (vt poſtea latius) accipio, inquiebat, hanc animi veſtri erga me beneuolentiã

Hoſpitalitate & eleemoſyna in fide factis placatur Deus

Quid intelligẽdũ per illud facite, uno modo

quod significatis in hoc oblato pane vestra bona tẽporalia & mea & à me esse, & vos illa ad meos vsus, meámque voluntatem velle dedicare. Sed quoniam ego omnium dominus, iam in ea gloria constitutus sum vt nõ egeam cibo & potu, facite, hoc est, impartimini ea pauperibus meis & vestris confratribus egenis inter vos viuentib. Sed quid? surdis cecinit Dominus. Interea habiti sunt egregiè christiani, qui quotidie in sordida auaritia immersi tres missas audiebant. Religiosissimi erãt & sunt sacerdotes & monachi, qui suas missas & orationes aliquot lachrymis perfundebant, qui à mane ad vesperam boatu quodam vocis aerem pulsabant. At num ista sunt quæ requirit Dominus? num ista est Liturgia aut sacrificium quod instituit? Vultis de Domini carnibus manducare, & Dominus non mãducabit de vestris in suis pauperibus? Petitis vt panis vester fiat caro & corpus Christi quo alatur caro christiani, & non patiemini vt vester panis cedat in alimoniam pauperis? vultis vt vestra mendicitas placeat Deo, & non potestis ferre, multo minus subleuare mendicitatem in fratre? Quid mihi hic respondebunt quotquot sunt ecclesiastici ordinis, quotquot monachi, quotquot Episcopi? Sanè patrimonia pauperum facultates ecclesiarum sunt (inquit Bernardus) & sacrilega crudelitate eis surripitur, quicquid vltra victum & vestitum sacerdotes accipiunt. Est proinde eleemosyna, sunt externa omnia misericordiæ opera, & pietatis officia, quæ frustulum illud panis Domino oblatum prætendebat. Hoc est sacrificium externum, quod à nobis exigit Dominus exterius sibi offerri, & supra caput eleuari, vt lux nostra & bona opera luceant coram hominibus, non vt sint recondita sub modio, hoc est sub mysterio panis oblata tantùm. Discite (inquit Dominus) ô mortales: Misericordiam volo & non sacrificium, rem ipsam

Facultates ecclesiarum sunt patrimonia pauperum.

ſam non vmbram, panem inquam in viſceribus pauperum non in altaribus. Offerte mihi ſordidas illas cucullas, uel etiam pelli ueſtræ adhærentes, prætendite (vt uultis) ſtramina & cilicium in quibus duriter decubuiſtis, enumerate ieiunia, uigilias, ſqualorem uultus. Reſonent tympana in ueſtris cætibus, aut crepitent organa. Crebri licet ſint in eccleſijs ſuffitus & boatus, aſſiduæ candelæ & geſticulationes, nihil tamen iſta me mouebunt ut uobis peccata remittam. Sola eſt miſericordia, ſola eleemoſyna, ſola denique charitas de corde puro ſpectante ad gloriam Dei, & utilitatem proximi, de conſcientia bona, quæ pænitet de peccato & ab ijſdem abſtinet, deque pertinaci fide & in finem uſque durante per & propter filium meum iſta faciente & offerente, cuius intuitu & flectar ad miſericordiam, & ad alendi ueſtri curam conuertar. Dic mihi ingenuè ô Lindane & quiſquis es de grege Pontificio, nónne uos conſcientia redarguit, quoties priuatæ Miſſæ meminiſti? quæ certe inſtituta uideri poterat à Diabolo, non à Deo. Inſtituit quidem Leo primus ante mille annos ut bis in die fieret miſſa, ſed in die feſti ſolemnioris & cùm eccleſia eſſet plena populo, non cùm unus tantum adeſſet. Verba eius hæc ſunt ad Dioſcorum. Illud, inquit, uolumus, ut cùm feſtiuitas aliqua ſolemnior conuentum populi numeroſioris indixerit, & ad eam tanta multitudo conuenerit, quam recipere Baſilica non poſſit, ſacrificij oblatio indubitanter iteretur. Neceſſe eſt enim ut quædam pars populi ſua deuotione fruſtretur, ſi unius tantum miſſæ more (nota) ſeruato ſacrificium offerre non poſſint, niſi qui prima diei parte conuenerint &c. Vide nunc mi Lindane, an fuerint priuatæ aliquæ miſſæ (idque Romæ) quingentis annis à Chriſto. Vide quoq; an non ſimul popul9 cum miniſtro offerebat ſacrificiũ?

Qua religione delectetur Deus.

Tempore Leo. cœna Domini celebrabatur in quibuſdã locis mane & veſperi propter populi frequẽtiam.

Quingentis annis poſt Chriſtũ primũ eſt cæptũ celebrari duas miſſas in die.

Quanquam & Augustinus narrat suo tempore etiam in die bis manè & vesperi in quibusdam locis oblatum sacrificium, sed semper posita cõditione, quòd ecclesia plena christianis id requireret accurrente nimirum populo & rusticis è vicinis pagis. Sed quid hisce immoror? ipsa Domini verba id satis indicant. Comedite, bibite, frangite, in plurali numero, Quinimo lege Liturgias Patrum omnes omnium nationũ & nullas inuenies priuatas, non vnã ignota populo, & peregrina lingua celebratam, quæ non minus ad populum, quã ad ministrũ pertinuit, & quid mirum? Voluit Deus iniri societates, seruari fraternitates cõmunes, & conuentus celebrari instituit, vt vno ore, vna voce, vna concordia, vno charitatis vinculo oẽs coniuncti & conformes consoniq; inter se, dũ alter alteri subuenit, diues cõmodat pauperi & pauper se accõmodat diuiti, dum doctior instruit imperitiorem, dum alter alteri recõciliatur, dum inquam hæc omnia foris in vna ecclesia tũ mansuetudinis, tũ humanitatis sacrificia obimus, & mutua prece fidei Deũ pro remissione peccatorũ & rebus necessarijs sollicitamus, ipse nos exaudiat & temporalia bona, cõcessis prius spiritualibus, sua benedictione multiplicet. Hæc erat olim quæ & nunc esse debet (prostrata cleri superbia) ecclesię oblatio, quæ hodie solis ceremõijs tecta & adũbrata est. Quoniã & tæduit & puduit reuerendissimos illos patres miscere suã purpurã cum sordidis pauperũ christianorũ vestib. & ad infima illa sese cũ populo demittere. Cæterũ (vt reuertar) cùm ecclesia non solo externo corpore cõstet, sed etiã spiritu siue aĩa, nõ postulat solũ sibi tẽporalia erogatis in pauperes tẽporalib. sed multo magis spiritualia effusis corã altari Domini pœnitẽtiæ, desideriorũ suorũ tum votis tũ lachrymis spiritualib. Neq; .n. solũ cupit iungi ecclesia Christo per carnẽ, sed magis ipsius spiritui per spiritum, quoniã is est, qui viuificat, is est

Cur Deus missã siue cœnã suã uoluit esse cõmunem.

Superbia discreuit populũ à sacerdotibus

est qui incorporat, & qui inter se membra solidiora facit, & capiti Christo firmius cohærentia reddit. Ipse enim spiritus mysticæ ecclesiæ veluti quoddam est corpus inuisibile, cuius caput Christus. Vnde sicuti referentibus medicis, corpus hoc nostrum visibile quatuor principibus constat partibus siue membris, Cerebro, iecore, corde, & testibus: ita corpus mysticum quatuor etiam pulcherrimis elucescit virtutibus veluti membris, teste August. pietate, vnitate, veritate, charitatē. Id quod etiam per panis analogiā designatur ex multis granis constantis, quæ sicuti in mola prius fuerunt cōminuta, deinde per ignem & aquam in formam & soliditatem panis redacta. Sic (vt ait ibidem Augustin.) & nos quando exorcizabamur, quasi molebamur: quando baptizati sumus, & spiritus sanctificationem accepimus, quasi cocti fuimus, & in mysticum panem redacti, in vnitate fidei firmati, pietate in parentes facti rotundi, charitate Deo & proximo sapidi, deniq; veritate fidei & vitæ purioris tum odori, tum fragrātes. Hic igitur est panis qui offertur, & à Domino offerri præcipitur sine auaritiæ, dissidiorum, odij, & malitiæ fermento. De quo Paulus, Offerte corpora vestra, inquit, hostiam viuentem, placentē Deo. Proinde, ô Christiane frater, es talis? quando vides panē sacramenti, teipsum vides. Es talis, vel quando minister eum tibi prætendit, vel tuipse tuis manibus contrectas, es, inquam, talis foris & intus, es taliter affectus erga Deum & proximum? in pane quoq; te offerri, teq; manducari à confratribus crede, quemadmodum tu desiderij & dilectionis dēte & Christum & reliquos fratres manducas, cum quibus & vna es caro per vnius panis sanctificati esum, & anima vna per vnius spiritus sancti participationem. Quocirca si quando astans altari siue mensæ Domini, Dominum loquentem audies voce pastoris & dicentē, Accipe, manduca, hoc est cor-

Sicuti corpus hoc nostrum 4. principibus constat partib. ita corpus mysticum 4. membris, veluti partibus siue uirtutibus.

Aduerte hoc Christiane Lector.

pus meũ: verba ista de te & dici puta, & ad te pertinere certissimè crede. Christus enim (ait Augustinus de Baptis.) nos significare vult, & nos ad se pertinere volens, mysteriũ pacis, vnitatis, veritatis, charitatis in sua mensa consecrauit, at quódnam hoc est mysterium? Panis nimirùm, vti diximus. Si igitur accipis hoc mysterium & sacramentum vnitatis, & sceleratus proditor in odio perseueras, dissidio aut schismate. Si mandis sacramentum pietatis, & curam non geris parentis ipse irreligiosus & ingratus. Si symbolum charitatis dentibus premis, & viscera misericordiæ auertis à pauperibus. Si denique veritatis tesseram intromittis veluti Christianus, & mendacijs detractionibusque gaudens plus quàm paganus inueniris. Si, inquam, corporis Christi imaginem & solo intellectu contemplabilẽ figuram admittis, & diaboli imaginẽ retines plenus peccatis. Non mysterium accipis pro te, sed testimoniũ contra te. Non facis oblationẽ Deo, sed sacrificas dæmoni, non alimoniam tui sumis à Christo, sed æternæ damnationis, sed æternorum tormentorum, heu q̃ grauium, & iudicium & augmentũ à diabolo. Ecõtrà aũt si animæ nostræ dotatæ sunt aut reipsa, aut magno desiderio quasi delibutæ vnitate, pietate, veritate, charitate, audacter panẽ & vinum offeramus, h. e. corpus & animã nostrã æterno Abrahã & Patri nostro Deo. Verùm in quem finẽ dices? Vt (respondet Hilar.) nec ingrati simus, nec infructuosi. Ingrati enim profectò essemus, si de acceptis beneficijs gratias nõ ageremus, & digni qui eorũ vsu priuaremur, Ingrati certè, si cùm Dominus dedisset nobis panem ad manducandũ, & vestimentũ ad vestiendum, hoc est, tot corporalia & spiritualia dona, nõ offerremus cũ illo pio Iacob illorũ decimam pauperib. Dei nostri & Deo nostro. Vt igitur nec simus ingrati, nec etiam infructuosi, sed habentibus nobis adhuc amplius detur, quod est Chri-

Offerimus panem ẽt uinum, hoc est, corpus et animã Deo, corporalia & spiritualia bona proximo, ne simus, & habeamur ingrati coram Deo.

Christi beneficijs,& carne indies nutriri, offerámus panem obedientiæ scilicet,offeramus vinum fidei & charitatis nostræ, & suo tempore effundamus ea in proximum,emendicantes interim, quæ videbũtur nobis deesse ad remissionẽ vsq; peccatorũ per & propter meritũ acerbiss. passionis filij Dei & domini nostri Iesu Christi,sitq́; hoc nostrum & appelletur precariũ sacrificium vt propitiatorio seruemus suam & reuerentiã & dignitatem. Quòd si iam in peccato extra fidẽ & charitatem, si,inquam, fœtidum & fermẽtatum panem, si putre vinũ illi agricolæ Deo nostro offerimus pro remissione peccatorum nostrorũ,putásne impetrabimus? Si legatus aliquis stercore & sordibus intus & extra fœtẽs,pręsentaret se Regi alicui pro impetranda remissione sceleris,pro reconciliãda aliqua repub. læsæ maiestatis rea, putas ꝙ ipse rex aut regij ministri possent eius præsentiam sustinere? minimè (dices.) Cur igitur,mi Lindane, dicitis,his mille annis ferè vos offerre corpus Christi,& facere quod Christus fecit, quasi oblatio simplicis panis aut vini demulceat Deum,& nõ potius nostri requiratur,qui in pane designamur sacrificiũ? Vetas ergo,inquies,offerre panem & vinum? At hoc est tantũ ac si dicas, vetas celebrare cœnam? & cũ videamus nos premi necessitatibus & ad iudicium trahi,vetas suscipere & emendicare patrociniũ? Nõ veto,nec vt omittatur consulo. Sed admoneo ne donum quod mittimus sit mutum, sit regia maiestate indignum, sit larua,nos resipsa, sit & arbor folijs quidem vestita virentibus,sed sine fructu & sterilis. Hortor quoq; ne legatus in ipso suæ legationis præambulo,vel interioris vultus sui deformitate sit aspernabilis, vel sordibus & fœtore horribilis, vel scelerum grauitate damnabilis. Non igitur prohibeo, offerre signũ,quod ne tanti quidem facit Deus, sed volo videre signatum. Meritò proinde Diuus Augustinus

veteris religionis verè thesaurus graphicè hanc panis & vini, qua offerentem respicit, analogiam depingens, & vos veluti simias quasdam egregiè (licet tacitè) reprehendens, sic ait lib. 5. de Ciuit. Dei. Sacrificium visibile panis & vini est sacramētum, id est sacrum signum sacrificij inuisibilis. Qui verò putant hæc visibilia sacrificia Dijs gentium potius congruere, Deo verò nostro, vtpote inuisibili, inuisibilia, & maiori maiora, melioriq; meliora, qualia sunt puræ mentis & bonæ voluntatis officia, profectò nesciunt panem & vinum altaris ita esse signa illorum, sicuti verba sonantia signa sunt rerum. Quocirca sicuti orantes atq; Deum laudantes dirigimus significantes voces ad Deum, cui res ipsas quas significamus in corde offerimus: ita sacrificantes nemini visibile sacrificium panis offerendum nouerimus quàm illi, cui in cordibus nostris nos ipsi inuisibile sacrificium esse debemus. Hactenus Augustin. Ex quo duo colligere & diligenter notare debemus. Vnū quòd tot iam seculis huius mysterij intellectus à sacerdotib. planè sublatus sit, vt apparet ex tua Panoplia mi Lindane, qui cæco quodam & intolerando in te errore, putas quòd panis qui offertur post consecrationem sit naturale corpus Christi & filius Dei, quem quoq; manibus premis, cùm potius, imò reuera sit corpus Christi mysticum. Alioqui an non habuisset Augustinus facilem ansam respondendi gentilibus dicentibus, Prestaret offerre panem Cereri, quàm omnium rerum Deo, aut æquius esset nos offerre cor nostrum, quàm vinum ei, qui nec comedit, nec visibili potu delectatur. Non habuisset, inquam, paratam hanc responsionem dicendo: Quid? putatis hæc, quæ nos videtis offerre, esse panem, esse vinum? erratis. Est ipsemet incarnatus filius Dei, quem hac quam videtis albedine tantùm panis tectum realiter suo Patri offerimus, & obsecro quid potest

test esse gratius Patri quàm proprius filius? Potuisset igitur hoc illis respondisse Augustin. & satisfecisset proculdubio. At longè absuit ab ea opinione (vt postea ostendemus) & dicit, quòd iste panis sit signũ nostri cordis, quo colimus Deum, & quod offerimus Deo. Iam ꝗ ne sub forma quidem siue specie panis vnquam Augustinus putauerit latere carnem formatam (vt sic dicam) alicuius hominis, tantũ abest vt Iesu Christi, probauit & testatus est alibi contra Iudæos dicens, Nunc manibus non offerimus carnem, sed corde & ore offerimus laudem. Proinde, mi Lindane, si intelligeretis canonem vestrum, cùm dicitis, Suscipe sancte Pater hanc oblationem, &c. deinde, Iube eam perferri sursum per manus sancti Angeli tui: tantum est, ac sic diceretis. Suscipe Pater me & populum hunc, qui sumus corpus Filij tui facti in Baptismo per gratiam tui passionis ipsius, suscipe nos, inquam, qui in oblato hoc pane repræsentamur.

Nulla caro actualiter præsens offertur in pane, teste Augustino.

Hæc igitur fuit cæcitas Ecclesiæ Romanæ, quæ si oculos aperire vellet, & ad verum redire sacrificij Christiani intellectum, idque peragere cum populo (vt fit in reformatis Ecclesijs hodie) vulgari & intelligibili lingua, (vt bene meo iudicio instituerat Bonnensis reformatio sub pio illo Archiepiscopo Coloniensi, adiuuantibus & suam operam ei rei nauantibus Oecolampadio, Bucero & Melanchthone) non video cur tam abominabilis reputari debeat Canon ille Pontificiorum, quam clamant nonnulli magno boatu, æquè ignari antiquitatis & veritatis, ac Pontificij. Id quod bene intellexisse videtur hodie nunquam satis laudata ecclesia Anglicana, quę ferè totum Canonem retinet, & in celebranda cœna Domini ipsam vetustatem quàm proximè æmulatur præsertim in consecratione panis & vini, quæ etsi nihil faciunt ad consecrationem, explicant tamen consecrationis Christi vim: & quædam sunt veluti paraphrasis,

cuius hæc sunt verba. Concede misericors pater, vt hæ creaturæ panis & vini per sanctum Spiritum & verbum sanctificata fiant nobis corpus & sanguis dilecti filij tui, qui pridie quàm pateretur, &cæt. Hæc est profectò vera & catholica consecrandi forma, & ad meum propositum, de quo hoc toto libro ago, accõmodata, etiamsi antea ego eam non viderim. Si igitur intelligunt aduentu verbi æterni & opera Spiritus sancti panem mutari in corpus Christi per gratiam, vt vult Epiphanius, aut in veritatem carnis Christi, vt Cyrillus, nihil potest dici aut credi verius: sed de hoc aliàs, redeo ad propositum. Alterum igitur, quod notandum dicebamus in Augustino est illud, vbi dicit, Nemini alteri offerendum visibile sacrificium quàm Deo: modò intelligamus nos debere esse Deo inuisibile sacrificium. Quasi diceret, frustra in altari proponitur panis & vinũ Deo, frustra eleemosyna, ieiunium, oratio labiorum, & eiusmodi externa pietatis sanctitatisq; simulachra illi frustra offeruntur, nisi quod maximè & primùm requirit, & quo solo (vt omnia dicam) contentus est, ea omnia ex charitate, ex vera fide, quam vera pœnitentia præcessit, offeramus. Nam nec cupit visibilia, nec affectat Deus temporalia, si desunt illa inuisibilia. Demùm frustra panis portio & vini pauxillum sursum in altari effertur, si non liberaliter & panis & vinum vitæque necessaria cum puritate cordis pauperibus erogentur.

Præclara Cyrilli sententia, & animo tenenda.

Hinc præclara illa vox beati Cyrilli in Iohan. lib. nono cap. 5. Cùm omnis virtutis numerus in dilectione contineatur, inquit, nemo inediam atque ieiunium, nemo quia se humi prosternat, nemo cæteris virtutum exercitationib. magnum se cõsequi putet, nisi rectè fratrem diligat. Facies ergo atque imago Christi nobis insculpta, qua sui esse cognoscimur, charitas est. Hæc ille. Audiant hęc Monachi, Canonici, & nobiles nostrę moniales

niales, in quibus vt castitatis studium magnoperè & admiror & laudo, ita parum profuturum prædico, nisi hoc totum illorum institutum charitatis serto decoretur. At quæ charitas, relinquere suis fratribus opulentissimis alioqui sua patrimonia, & inuadere pauperum hæreditatem? Quæ charitas offerre aut oblationi interesse vbi pauxillū vini offertur Deo in altari & mendicitate effronti, aut iniqua hæreditate efferre, mille cados vini singulis annis è pauperum torculari? Hæc igitur cùm sic fiunt (scalpat se qui sentit pruritum) irridetur Dominus, non illi sacrificatur. Et quid aliud, ô Pontificij præsules, quid aliud, mi Lindane, factum est à vobis plus quàm sexcentis annis (vel teste Bernardo) in priuatis vestris missis, qui diligenter quidem panem sursum extulistis, sed quis vnquam vestrûm pauperem precio oblationum redemptum è carcere liberauit? Quæ lupanaria fuerunt vnquam destituta miserabilibus puellis, aut vestra priuata admonitione, aut liberalitate, ab eiusmodi sordibus ad matrimonium reuocatis? Quis ciuis honestus (egens tamen) potuit à vobis accipere commodato aliquot aureos, vel proposito pignore etiam iam à sacrificio reuertentibus, & de calice Domini turgentibus? Alioqui quorsum damnabile collegium perditissimorum aut Iudæorum, aut fœneratorum (vtinam non inter eos essent & Christiani) in vestris vrbibus viuere patimini, & Pontificio priuilegio munitos sepelitis, nisi vt aliquando vobiscum resurgētes, vos & à vobis excæcatum miserum populum iudicet ad æternas pœnas, & secum pertrahat. Verba me deficerent, si rem quæ hîc mihi sese offert, iusta oratione non depingēdam, sed deplorandam persequerer. Saltem audis, quòd visibile sacrificium fatetur Diuus Augustinus indignum quod offeratur maiestati Dei,

Castitatis uotū laude dignum & admirandū, sed ut est difficile, ita est uanum, nisi et humilitatis et charitatis serto decoretur.

nisi designaret nota quadam certa cor, mentem, voluntatem, animam, & corpus offerentis Christiani, Deo scilicet vniti affectibus, & obsequijs addicti. Huc proinde aduertito mentem, hic ille est scopus erroris, hæc ignorantiæ est abyssus, in quam totum mundum detrusistis. Voluistis simpliciter quòd panis & vinum, quòd insensibilis secundum potentiam creatura supra caput vestrum eleuata impetrarent, mererenturque vobis & alijs veniam peccatorum, ex ipso opere operato, & sine bono fidei motu vtentis, dixistisq; opus hoc esse propitiatorium. Nec hîc tibi subterfugij locus est, cùm dicis, hoc fieri per præambulum in pane non consecrato, & respici ad mox consecrandum panem, qui erit naturale corpus Christi. Vnde magnum in hoc tuæ inscitiæ (parce verbis) prodis argumentum, aut Augustinus magnum protulit mendacium, qui panem & vinum in altari consecrata, signa esse dicit bonæ nostræ voluntatis & puritatis cordis, quæ Deo offeruntur: neque dicit signa esse præsentis carnis filij Dei, siue integri corporis eius & animati. Id quod certò collige, ex verbis Clementis Romani, cuius hæc sunt verba libro septimo cap. decimose p. Memores igitur eorum quæ Christus passus est pro nobis, gratias agimus & eius ordinationẽ implemus, qui dixit: hoc est corpus meũ. Memores igitur passionis eius offerimus tibi regi & Deo, panẽ hunc & vinum hoc, rogamusque, vt benigne aspicere digneris super hæc dona proposita, tu qui nullo eges & complaceas tibi in ipsis in honorem Christi tui, & mittas spiritum sanctum tuum super hoc sacrificium, vt faciat hunc panem corpus Christi tui, & hunc calicem sanguinem Christi tui, vt qui eum percipiunt confirmentur in pietate & remissionem peccatorum consequantur. hæc Clemens. Et notásne lector, quòd post verba consecrationis adhuc vocat panem, & cupit vt Deus eum susci-

Magnus Pontificiorũ abusus in offerendo pane.

suscipiat etiam si nullo egeat, in quem petit demitti spiritum sanctum? quid ergo panis oblatus signat nónne ecclesiam & singulos fideles, quos orat suscipi, vt accipiant spiritum sanctum? Subscribit illius sententiæ Diuus Basilius initio Liturgiæ cùm ait. Suscipe nos quæsumus Domine accedentes ad sacrum tuum altare pro multitudine misericordiæ tuæ, vt digni simus tibi offerre hanc non carnis (nota lector) sed mentis atque spiritus incruentam hostiam pro nostris peccatis atque populi tui ignorantijs, quam vbi ad sacrum tuum atque spirituale admiseris altare in odorem suauitatis, in eius vicem nobis tuam spiritus sancti gratiam mitte &c. Intelligis opinor (& mirum si non pudore perfunderis) quòd incruenta oblatio ecclesiæ non sit præsens caro & realis animataque Iesu Christi, sed mentis cuiusque & spiritus, cordisque contriti & humiliati, passionem Iesu Christi flebiliter recolentis, & eam Deo Patri offerẽtis pro impetranda gratia spiritus, & demum cùm eã obtinuerit & comederit in sacramento, gratias ex animo pro ea hilariter agentis? Quod si Basilius respexisset ad naturale corpus Christi & carnem eius, nunquã addidisset: suscipe hanc non carnis, sed mentis nostræ hostiam. Deinde si fuisset vera caro Christi quam intendebat offerre, & quam manibus eleuabat, quanque à Patre suscipi postulabat, non adiecisset, in eius vicem immitte nobis spiritus sancti gratiam. Quàm enim ridicula, aut potius blasphema fuisset eiusmodi mutatio? fædè igitur & miserabiliter, & vtinam non dãnabiliter hactenus vos ipsos & cæcum mundum fefellistis. Cùm enim Christus seipsum, hoc est corpus & animam obtulisset Deo Patri in spiritu, pane & vino repræsentatus, & iussisset vos potissimum (alioqui pertinet ad omnes) facere in commemorationem sui, hoc est memores, quòd ipse prior hoc fecisset, vos contra,

Sacrificiũ incruentũ eccle. & uerũ quodnam sit.

Christus qui repræsentabatur per panẽ et uinum in ultima cœna, obtulit se Deo Patri ad mortẽ, & fusionẽ sangui

nis obedientiq; sacrificio sui ipsius nobis reliquit exẽplũ ut in cœna Domini sic spiritualiter nos totos offeramus Deo ad omnẽ eius uoluntatẽ perficiẽdã, et hoc est sacrificium uerũ & Christianorum proprium.

non vosipsos,sed ipsum rursus offerre vultis? Veluti si quis pro te vapulasset,& iubet vt se imiteris,hoc est,vt vapules reciproco officio pietatis pro se, tu contra tantum abest vt non ipse vapules, vt eum qui pro te tot flagra sustinuit,ad flagra rursus pertrahas? Cur non & simili ratione Christum denuo è cœlo euocas lauaturum tibi pedes,quia cùm Apostolis semel hoc fecisset, dixit: Exemplum dedi vobis vt quemadmodum ego feci,sic & vos faciatis? Egregia certè ratio, & subtiliter intellecta à vobis scriptura. Christus volens obedire voluntati Patris,implereq; eius iustitiam pro nostra salute,accepto pane & vino quibus ipse verus Melchisedech,verus sacerdos,& solus Pontifex designabatur,obtulit se patri quasi dicens,se paratum esse ad perferendam mortem atrocissimam, ad sanguinem quoque fundendum & ponendam animam,ne homo quem aliquando condiderat,in æternum periret. Hoc te imprimis ô Pontificie Præsul iubet imitari, hoc est teipsum sic exponere Deo ad eius voluntatem. Tu proinde iam factus Episcopus & pastor, & vocatus vt offeras,spiritualiter tamen(licet pane & vino repręsentatus) & si res exposcet in veritate quoq; teipsum pro tua cui pręsides ecclesia,pro iustitia, pro charitate,tu substitues Christum? Rursus delegit te pater cœlestis, vt mortem oppetas pro salute ouium tuarum,tu Tigride truculentior pro teipso substitues Christum bis ad mortem? quod quanquam horreo dicere,& nequeo pręlachrymis videre,non possum tamẽ non præ pietate redarguere. Iterum Christus pro toto populo orat cum lachrymis prostratus in faciem & iubet,vt se imiteris,tu eius vt dicis successor in sacerdotiũ totum diem impendis,totam noctem in abominandis lasciuijs? Christus exuit omnia quæ habet, & nudus multis flagris cæsus innocens humiliat se coram iudice,suscipit pondus crucis, vndique cruentato & spinis con-

Forma & ratio offerẽdi sui ipsius Deo à Christo petẽda

confoſſo capite pedes aſcendit montem,extenditur tādem miris cruciatibus,& ad longitudinem crucis aptatur,tandem & moritur. Audi nunc eum clamantem,audiat & eum per te vniuerſus populus,quos etiam alloquitur. Hoc facite vos reges pro ſalute populi ſi opus eſt,facite hoc Magiſtratus pro commodo reipublicæ,ſi res & Deus exigit. Imitamini & hoc præ omnib. vos Epiſcopi mihi in terris in his & talibus ſucceſſores, & ſimilia patimini conſtanter pro gloria Dei,pro incolumitate gregis,quoties ſeſe obtulerit vrgens occaſio,idq́ue in meam commemorationem, hoc eſt, memores, quod ſic obedíj Deo Patri,ſic ego prior Deus & homo pro vobis paſſus ſum,vobis relinquens exemplum vt ſequamini veſtigia mea. Attende nunc mi Lindane cum tuis Cyprianum, quem tàm libenter adducis dicentem: Quod ille demum uerè Chriſti uice fungitur,qui quod fecit imitatur. Tu igitur ipſe es mi Lindane & quiſquis ille eſt è populo,qui tecum ſacrificat, qui hic quæreris imitator. Cur tot crucibus ſignas panem, cur eum in tot partes diſſecas, cur ueluti in crucem ſupra caput eleuas, ſi tu qui his ceremonijs deſignaris, hæres in uoluptatum & deliciarum ualle miſerabilis Epiſcopus? Si ſecurus in amplis palatijs degis & integer ſaluis omnibus fortunæ bonis, quæ debebas pro populi ſalute ex poſuiſſe? ſi incedis caput mytra redimitus,quod omnimoda rerum diuinarum cognitione perfuſum ad erudiendum populum foràs diuinum liquorem ſtillare debebat? Si adornata & auro decorata mula ſedēdo laſſus obequitas, qui ſollicitus de ſalute pópuli,per uicos,per plateas, per pagos,uel pedes diſcurrere debebas,quò errantem ouiculam ad Domini caulem retraheres? Quorſum obſecro inſenſibilem creaturam panis in calicem liquore uini obruendum demittis, ſi tu non in precioſo Chriſti ſanguine & corde contritus ueluti à mola, &

fide firmus veluti pistus, & charitate calens veluti coctus, omnes huius corporis tui voluptates, omnes prauas animi concupiscentias, auaritiam, ambitionem, superbiam, crudelitatem semel & in perpetuum coram populo ad imitationem demergas? Siquidem (inquit Augustinus lib. Sent. Prosp.) ipsa carnis immolatio, quæ per panem designatur, fitq; per manus sacerdotis, vocatur passio, mors, resurrectio, non in rei veritate, sed significãte mysterio. Audis mysterium. Quódnam illud est obsecro? nónne tu, & quisquis tecũ offert, qui idem debes esse offerens ipse, & oblatio, cùm id antea fuerit Christus? Nam eius rei mysterium (ait Augustin. lib. de Ciuitate Dei) quotidianum voluit esse Ecclesiæ sacrificium, cùm ipsius corporis ipse sit caput, & ipsius capitis ecclesia sit corpus, tam ipse per ipsam, quàm ipsa per ipsum suetus offerri. Audísne Augustinum? Et quódnam est mysterium siue sacramentum, quod voluit Dominus continuum esse ecclesiæ sacrificium, nónne panis & vini, quæ quotidie per verbum Dei sanctificata, à fidelibus in ecclesia & offeruntur & sumuntur? sed quẽ designant illa sic oblata Deo Patri, nónne ecclesiam & quoslibet ecclesiæ fideles, qui in immolandis seipsis, in sacrificandis & mortificandis carnibus veteris Adami Christum imitantur, qui peccati gessit similitudinem, & quomodo illud mortificari deberet vita & moribus nobis ostendit? Cæterùm quis est aut esse debet primus sanctissimus, & virtutum operumque Christi maximus æmulus, nónne Episcopus & quilibet pastor, qui ob hoc offert, hoc est orat pro populo per meritum Christi, & mortem eius propter quam audiatur, quoniam multum valet deprecatio iusti assidua? Vnde Cyprianus tracta. de Cœna. Sacerdos, inquit, pius & deuotus, quẽ spiritus sanctus excitat, contritum & pœnitentem reddit, eleuatione manuum suarum crucis mysterium repræsen-

Christus nos offert in sua carne sursũ in cœlo, nos debemus hic deorsũ offerre Christũ Deo patri in nostro corpore.

Christianus omnis debet eße offerens simul & ipsa oblatio.

præsentans, confidenter orat pro sua & populi ignorantia. Vides ergo mi Lindane, quomodo debeas offerre teipsum cum populo, indutus nouum hominem virtutum, exutus veterem Adamum vitiorum? Non enim satis est quod corpus Christi offeras in signo, nisi sis & corpus Christi in signato. Sic igitur te decet offerre corpus & animam Deo, bona temporalia & spiritualia ad eius gloriam semper destinata & seruitura, quæ ex sola Dei liberalitate agnoscis te accepisse, vt vel ea repetat (si volet) collaturus in egenos, vel illa eadē tibi augeat & conseruet pro suo arbitratu, gratias illi semper agens & laudis sacrificio Deum honorificans, vt verè dicas cū eo quem tu te imitari fingis sed per signa tantum, Iesu Christo: Attamen Pater non sicut ego volo, sed sicut tu vis. Sic profecto fies & tu & populus, qui tecum sacrificat, verus offerens. At tunc eris demum & ipsa oblatio, si Dominus paupertate & inopia premat tuū gregem, tu venditis omnibus tuis bonis illi ex charitate succurras. Si videas eos arescentes ex defectu veri verbi Dei, tu noctes & dies hilari & paterno suscepto labore illos pascas & priuatim & publice, ipse Dei & tuarum legum seuerus custos. Si peccauit populus, tu oblato passionis Christi sacrificio indefessis lachrymis & tibi & illi pœnitenti impetres veniam propter Christum, non propter teipsum. Si cæci sunt, si aberrant ducti falsa imagine veritatis, tu illis teipsum in Christo & vitæ & doctrinæ perpetuum exemplar exhibeas, vt cum Paulo aliqua saltem ex parte dicere queas: Imitatores mei estote, sicut & ego Iesu Christi. Denique (vt finem faciam) si Dominus te pro vtilitate gregis, pro eius salute uel exposcat ad mortem, uel ducat ad opprobrium, dicas constanter; Domine si ea est tua voluntas, si adhuc vel in uita, vel in morte possum prodesse gregi, uel tuū illi impetrare fauorem propter vnigenitum filium tuū

Offerunt quidē & debēt offerre sacrificiū hoc modo, sed tribuitur officiū potissimū ministro, quia is præit alios ut ministerij uirtute, ita & sanctitate.

cuius hic(licet indignus) subeo vices, libens expono vitam. Pluris enim mihi est vnius ouiculæ meæ mihi abs te & meæ sollicitudini commissæ salus, quã quidquid illud est, quod vel mundus fallaciter offert, vel Diabolus latenter suggerit, vel caro suis blandimentis speciosa promittit. Scio non potero excõmunicare Regem, non ducem, non comitem, non ciuem hunc præpotentem ob fornicationem publicam, ob latrocinia, ob fœda alia scelera quibus vel scandalizant ouiculas meas, vel opprimunt importabili & iniquo iugo, scio inquam non potero illi tyrannidi aut scandalo occurrere, nec priuatis admonitionibus primùm, nec tandem publicis censuris citra vitæ meæ periculum, sed quid? quia tu iubes, obtemperabo, & tibi volens immolabo mei ipsius hostiam ad mortem vsque. Scio alioqui (vt monet tuus ille Cyprianus lib. Epistola. 2.) actum esse de ecclesia, si pastores pertimescant incursus perditorum, inquit, & non repugnẽt ad mortem. Hæc igitur est mi Lindane offerendi panis ratio, hoc reconditum est in pane mysterium. Hoc est inuolucrum ænigmatum (vt ait Iacob. in sua liturgia) quæ symbolicè hoc sacro sacrificio circundantur. A cuius tamen intellectu tàm longê abes in tua Panoplia (vide quàm procul reliqui sacrificuli in taberna) quam cœlum abest à terra. Putas quippe quòd qui aufert à missa hanc externam eleuationem panis, hanc in vinum eiusdem submersionem, hanc trepidantem panis ab imo ad summum nescio quam deductionem variamq; illius fractionem & eiusmodi, sit antichristus, quoniam tibi videtur iuge tollere sacrificium. At longè aberras. Audi Cyprianum lib. 2. episto. episto. 3. Vtique ille sacerdos (qualis est omnis populus licet de ministro tanquam præfecto potius dicatur, sic dicitur Cæsar vicisse cũ tamen fuerint milites. Ita minister dicitur Deũ pacasse, aut impetrasse, cũ hoc

Actũ est de eccle. si pastores pertimescant incursus perditorũ & non repugnẽt ad mortẽ eos excõmunicando ubi opus est & cõuenit.

forsitan fecerint potius oblatio & preces religiosæ plebis) verè Christi vice fungitur, qui id quod fecit Christus & dixit imitatur. Nota imitatur, in opere scilicet non in signo tantum, in veritate, non in sola imagine. Deinde subijcit. Et sacrificium tum offert plenum Deo in ecclesia, si sic incipiat offerre, secundum quod Christum videt obtulisse. Hæc quidē Cypria. & vos visi estis bene functi sacerdotio, quando panē & vinum sed aqua mixtū (quod non fieri necessario & Thomas vester, & Bessario, immò quod plus est ipse Paulus qui id se accepisse à Domino affirmat, nobis persuadet) sursū supra caput eleuātes (quod nulla græcorū liturgia facit, nec scriptura apertè docet) & Deo Patri offerentes dixistis. Suscipe sancte Pater hāc oblationē &c. At parū adnotastis quod in Cypriano mox sequitur aureis profecto literis mandandū. Cæterū, inquit, omnis religionis & veritatis disciplina subuertitur (nota lector) nisi id quod spiritualiter præcipitur, fideliter reseruetur. Audi igitur mi Lindane, audiant qui à Deo reuocādi sunt Pontificij sacerdotes, & eant nunc, & extollant missam suā cæremoniale, quæ certè in causa hactenus fuit, cur omnis & religionis & veritatis doctrina subuersa sit, cū ceremonijs quas nō instituit Deus totū tributū est, spirituali operi quod tam seueriter exigit, nihil. Non igitur aufert iuge sacrificium qui lanceola nō pungit panē ad latera, designans loca, in quibus Christus fuerit vulneratus, ut faciebāt pseudoliturgia Chrysostomi, non tamen Iacobi. Qui pani non imprimit imaginem crucifixi, quod Romani faciunt, non Græci. Deniq; cœnæ Dominicæ decorū nō cōtaminat, qui Christi sola institutione cōtentus, infinitis laruis cæremoniarum populum ad stuporem non adducit, sed qui populum arcet ab intellectu, à celebratione mysterij, ipse eius ignarus. Qui Deum uult placare pane, qui deberet id facere fide. Et qui naturale

Aurea Cypriani sententia diligenter notanda.

corpus Christi dicit se offerre Deo Patri,ipse interim offert suũ proprium corpus(Dei instituta aut innouando, aut omittendo)Diabolo. Internus est igitur lupus vestræ ambitionis & nostræ,quẽ Dominus vult occidi ad altare cordis,vt humilitatis agnus,qui è veræ pœnitentiæ vepribus erũpet,substituatur.Latens est luxuriæ hircus,quẽ vult perimi, vt castitatis colũba postmodũ immoletur.Lasciui sunt vituli prauarũ concupiscentiarũ, deniq; mortiferi illi serpentes vitiorũ,quib. ad Petram Christũ allisis,& per verã charitatem interẽptis,si filiolã tuã hoc est animã licet malè à Dæmonio vexatã Patri Deo per Saluatorem omniũ Iesum Christũ verecundus offeras.Si tibi,si populo peccati indulgentiam exposcas tremebundus,Si Leprã aut tuam,aut tui gregis etiã manus tecũ ad Dominum extendentis cupis elui precioso sanguine Iesu Christi, si inquam sic te, si sic ecclesiam offers(cuius & panis est symbolũ & tu personã repræsentas)pro militanti orans, pro triumphanti gratias agens, paucisque (si velis) fideles defunctos Deo commendans, parum refert si panem visibilem supra humeros & caput non effers. Si sic cordis circumcisionẽ celebras,prauas concupiscentias rescindens, nulla iactura est, si nouacula panem non reseces. Si sic te & Gedeonis lampades frangis, ipse intus fidei, & foris operum lumine fulgens, nihil iacturæ est si inter celebrandum candelam non accendis.Cæterũ si vt Dominicæ institutioni satisfacias,si ut tum signo,pane scilicet & vino super altare positis & Deo oblatis,tũ re signata respõdeas tu cum populo diligenter in mysterij negotijs initiato & instructo,sic ad oblationẽ accingeris, implesti ꝙ præcepit Dominus.Iam sacrificium plenum obtulisti Deo. At si in signo tantum hæres, si in ceremonijs qualicũq; fine ad hoc institutis persistis tantùm,derisisti Dominũ qui aliquãdo in interitu tuo ridebit,cũ is cui immolasti Dia-

Quæ animalia debent occidi in sacrificio Christianorũ.

In cœna Domini minister debet pro militãti orare eccle. pro triũphãti gratias agere & paucis fideles animas defunctorũ Deo cõmendare.

Diabol⁹, de tui ſacrificij & corporis tui carnib. veſcetur nunquam ſatiandus. Petes forſitan, Ergo reijcis omnes cæremonias Miſſæ? Quid me interrogas? audi Dominum. Veri, inquit, adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate. Si ſpiritũ requirit, cur illi proponis corporalia & viſibilia? ſi veritatem, quorſum illi obtrudis vmbras? Voluit quidem panem & vinum ſibi offerri in vſus pauperum & ſuorum miniſtrorum, pupillorum, & viduarum, ſed in puritate cordis & conſcientiæ, vt tibi in eodem pane ex mera ſua liberalitate admirãdum ſuæ diuinitatis reconderet nutrimentũ, quod fide manducares, & de plenitudine ſanguinis, qui de latere ſuo quondam pro te effuſus eſt, inuiſibile ſuæ charitatis & ad peccatorum tuorũ remiſſionem generoſiſſimum Spiritus ſancti merum in tuum ſinum effunderet, quod animi gratitudine ſuſciperes. Quod igitur præcipit, obſerua, quodque viſibiliter tibi offert Dominus, ſingulari cum reuerentia & manu ſuſcipe, & ori admoue. At quod ſecretius tibi recondit, purificatis intus cordis & conſcientiæ tuæ vaſculis rore fidei & igne charitatis humiliter excipe, ſic ſpiritualis alimoniæ & guſtu fruere, & præſentia lætare. Proinde non facilè pluribus cæremonijs te oneres, vt tandem omni te ſcrupuloſitate liberes & vanitate. Diſcipulis Chriſti (inquit Origenes in Mat.) ſatis debet eſſe vnica tunica, & hæc interior, videlicet ſpiritualis ſacrificij munus (quo intelligitur quicquid à Domino præceptum eſt, quod ſpiritu dilectionis impellente obſeruamus) cur tu obſecro tot cæremoniarum ſuperfluarum tunicas aſſumeres? Sed redeamus ad propoſitum. Sicuti panis ex multis granis in vnum coaleſcens, vnitatis figurã præ ſe fert, ita idem oblatus, eccleſiam Dei quæ vna eſt, repræſentat. Proinde cùm illa ſit corpus Chriſti myſticum, non naturale, illa offertur vt ſuſcipiatur, non iſtud: pro illa oratur, non pro iſto.

Cæremonias non requirit Dominus.

Quicquid præcipit Deus, & quod ſpiritu dilectionis obſeruamus, uocatur & eſt Deo ſacrificium, ſiue cultus ſpiritualis.

Vnde Augustinus 22. de Ciuitat. Dei, cap 10. Ipsum, inquit, nostrum sacrificium, quod Deo offerimus singuli, corpus Christi est, quod non offertur sanctis, quoniam sancti hoc ipsum sunt. Animaduertis lector, quòd corpora fidelium, hoc est fideles ipsi sunt sacrificium quod Deo singuli offerimus, & quod minister prætento pane iuxta citatam à nobis analogiam offert Deo, hoc est precibus suis commendat cum vniuersa plebe respondente Amen. Nónne hoc est quod Paulus tam solicitè dicit, Offerte, fratres, corpora vestra hostiam viuentem, placentem Deo? Hoc est igitur sacrificium corporum nostrorum, cõtriti & humiliati cordis nostri, quod Deo offerimus & offerre debemus semper quidẽ & in omni loco, sed potissimùm aut ante susceptionẽ Eucharistiæ cùm appetimus verę pœnitentiæ stomacho spiritũ sanctificationis, aut cùm post susceptionẽ sacramenti intus possidemus Spiritum Sanctum, & nos sanctificantem. Spiritu enim in nobis habitante, non fiunt quidẽ spiritus corpora nostra, sed fiunt spiritualia. Sic quando offerimus illa Deo omnipotenti ad perpetuæ obedientiæ sacrificium verè spirituales, sanctas, & rationales, Deoq; placentes hostias immolamus, quarũ panis oblatus ad altare, imago tantũ est (si visibile spectes) à cuius oblatione si quando impedimur, quæ est irrationalis, creaturã tamen rationalẽ, h. e. nos ipsos offerentes semper & quocunq; loco exaudimur. Propter quod securus dicebat Sanctus ille Episcopus Gregor. Nazianz. Esto, inquit, pellant me ab altaribus. At ego noui aliud altare, cuius ea omnia quæ nunc videntur exemplaria tantùm sunt & imagines, non ascia (nota, quòd altaria tunc ascia construebantur & parabantur, & vult dicere quod fuerit mensa) elaboratum. Mentis opus est & contemplationis ascensus. Ibi astabo, & accepta offeram sacrificia & holocausta, quæ tanto præstãtiora sunt, quàm ea

Sancti & fideles sunt qui offeruntur in pane & vino.

Notãda aurea sententia Nazianzeni.

ea quæ nunc aguntur, quanto veritas potior est quàm vmbra. Hæc ille: in quo, amice lector, non notas ꝙ dicit, panis oblationem esse vmbrã & mentis tuæ & corporis Christi, cuius mortem & passionis memoriã pro tui reconciliatione offers Deo patri. Iam vt reuertamur ad propositũ, cùm tota veri sacrificij vis consistat in oblatione humiliati & contriti cordis corã Deo, postulantis vt suscipiamur in gratiã propter vnigenitũ suum filium Iesum Christũ, propterea vt nos ipsos excitemus ad pœnitentiã & efficacius & salubrius, necesse est nos passionem Iesu Christi, causam item & finẽ spiritualiter & assiduè veluti vngulã findentia pecora ruminare. Proinde hortor omnes, vt in passionis historiam diligenti meditatione incumbãt, discantq; trahere literã ad spiritum. Vt, verbi gratia, dum horrẽt ad Iudæ proditionem, suas etiam fallacias, imposturas, detractionẽ, inuidiam, auaritiam detestentur, dum Christi admirantur humilitatem, qua se deijcit ante pedes Apostolorum, suam & agnoscant & damnent superbiam, suum fastum, aliorum cõtemptum, dum ad eius castitatem, sobrietatem, patientiam, charitatem, sapientiã obstupescunt, discant in seipsis damnare contraria, & à Christo expetere similia. Sic quippe oportet prius comedere spiritualiter Christum & Christi carnem, quę est in cœlo, quam possimus degustare eam ad salutem, quæ est in sacramẽto. Quicquid enim sursum Domini mensæ in spiritu assidentes desideramus, id in sacramento verè & realiter manducamus. At vti nemo est tàm efferus, opinor, qui Christi carnẽ & corporis illius dotes spiritualiter suspiciens, vellet carnẽ illã in os, deinde in stomachũ demittere, sed illi sufficeret in similem, & natura eandem carnem posse transformari, ita non arbitror quenquam in posterum tam immaniter requisiturum carnem illam Christi gloriosam in sacramento. Placet igitur (vt

In meditanda paßione Christi oportet trahere literam ad spiritum.

Prius comedenda caro Christi, quæ in cœlo est quàm poßimus ad animæ salutem eam degustare, quæ est in sacramento.

redeam) quorundam Euangelicorum vsitata orandi in celebranda Domini cœna & consuetudo, & forma, sed non ad modũ placet (cum venia dico) quòd nullum ferè dant tempus priuatæ meditationi passionis, priuatis in Ecclesia orationibus. Deinde quòd non vultu magis demisso discãt procumbere in genua, quoties maiestatem diuinam precibus cõmunibus solicitant, inuisibili, ineffabiliq; modo præsentẽ in Eucharistia. Cui quoniam nos agnoscimus in sanctificatis toties deliquisse, agnum illum Iesum Christũ & eius passionem cum sacrificio nostri cõtriti cordis & humiliati per fidem offerimus, inquit Rabanus. Et hoc est spirituale siue mentale sacrificium, quod per panem designatur, qui aliquando ab Augustino visibile sacrificium & horrendum vocatur. De quo loquitur Paulus ad Romanos 15. Vt fiat, inquit, oblatio gentium sanctificata per Spiritum sanctum. Siue enim de gentibus intelligas, quæ post Baptismum susceptum sese quotidie offerũt per fidem Deo, in laudis & obedientiæ sacrificium, siue de pane Eucharistiæ accipias, qui & corporis Christi mystici, & passionis eius sacramentum est oblatione celebri in Ecclesia & participatione, idem innuit Paulus. Nam & panis in altari per mysticam benedictionem sanctificatus, fideles sanctificat, facitque eos hostiam sanctam & placentem Deo, quam non solùm in altari oblato pane, sed vbique locorum eleuato ad Deum corde offerunt Deo. Offerunt ergo Christiani ante communionem corpus suum imbelle, languidum, semimortuum, & accipiunt viuificum & robustum. Offerunt & confitentur suam impietatem & iniusticiam pœnitentes per Christũ pœnitentium aduocatũ, & sanctitatis iusticiæq; impetrant gratiam propter Christũ. Quando nimirùm Dominus hostiam illorũ pacatus suscipiens, & per angelos in sublime sui altaris efferens, benedicit & frangens cuique por-

Mirũ est quod Christiani priuatim non orãt frequenter in Ecclesia, imò quòd ferè apud Euangelicos Ecclesiæ per totum diem sunt clausæ.

Eucharistia offertur & in templo et vbiq; locorum quomodo.

portionem iuxta fidei veluti appetitus, & modum, & mensuram, dicit, Manducate & bibite. Sic fit vt esurientes ante cœnam Domini offerant precariũ sacrificium, post cœnã (saturati) Eucharisticã & gratiarum actionis immolent hostiam, seipsos nimirùm. Et hoc totũ nobis meretur Christi passio, quę est iusticia nostra, sanctificatio nostra, propitiatorium pro nobis sacrificium, cuius propterea & in altari, & vbique offerimus memoriam Deo Patri, quæ vt non est in pane, ita per panis fractionem & eleuationem significante quodam mysterio designatur. Offerimus ergo panem, & offerimur in pane, sed frustrà, nisi & hoc fiat in corde. Suscipimur quoque à Patre, non simpliciter nostri doloris, nostræ pœnitentiæ, nostrorum saccorum, & cineris, non nostræ iustitiæ merito, sed respectu Christi dilecti filij sui, quem illi humiles pro patrono humani generis vnico, fide & charitate prætendimus, intuitu passionis eius & acerbissimæ mortis, quam illi commemorando veluti refricamus, cui soli debemus (si quod obtinemus) reconciliationis beneficium, non nostro operi operato, vt damnabiliter hactenus docuerunt Pontificij. Nihil igitur hîc habemus in manibus (si sacrificium spectes) præter panem, aut (si cum prædicto Nazianzeno audeo loqui) præter vmbram, intus in anima & altare est, & vera oblatio, quin & ipse offerens. Est enim ibi cor pœnitens & contritum, prætendens suam inopiam solo pane lacrymarum: & vt aspiciat, vt subueniat, vt morbo medeatur, ostendens Deo Patri filij sui passiones, preces, & effusas pro peccatoribus lacrymas, quas pro propitiatorio offert sacrificio, & quibus se posse reddere Deum sibi propitium indubitanter sperat pœnitentis Oratio. Hinc Diuus Cyprianus libro secundo Epistola quinta. Et quia (inquit) passionis Christi in omnibus sacrificijs memoriam facimus, Passio Christi est sa-

Ante manducationem sacramenti offertur sacrificium precarium, pòst eucharisticum.

Panis fractio designat passionē Iesu Christi.

crificium quod offerimus in pane & vino. Idem dicit & Cyrillus in Epistola contra Nestorium. Annunciantes (inquit) eam, quæ secundum carnem, mortem vnigeniti filij Dei Iesu Christi, & ex mortuis resurrectionem, inque cœlos ascensionem confitentes, incruentum perficimus in Ecclesijs sacrificium. Hæc ille, ex quo percipis, quòd non simpliciter ipse Christus, sed Christi passio, mors, resurrectio memoratur. Consentit huic sententiæ Euseb. quem Lindanus pro se, interim reuera contra se adducit, dicens. Mirabilem victimam Christus pro nostra salute obtulit, & eius rei memoriã vt Deo pro sacrificio offerremus instituit. Audis memoriam rei non rem? Vnde etiam Augustin. de Fide ad Pet. Christus, ait, sese obtulit hostiam Deo, cui sacrificiũ panis & vini offerre non cessat, sed in hoc sacrificio cõmemoratio est carnis, quam pro nobis obtulit, & sanguinis quem pro nobis effudit, &c. Vides iterũ, si nolis volens cæcutire, mi Lindane, ꝙ nõ offertur à nobis in cœna siue missa (si voles) corpus illud Christi, quod in cœlo est gloriosũ, vt à patre suscipiatur, sed vel memoria passionis illius, vel corpus quod ascendens reliquit in terra, quod est Ecclesia nimirũ & quilibet fidelis, qui eiusdem naturæ carnẽ obtinuit cũ Christo in Bapt. & quã quotidie nutrit per sacramentum. Id totum quod dicimus pulcherrimè indicat Aug. sequentib. verbis in Psal. 49. Non potest, inquit, ritè offerri, nisi per sacerdotẽ iustum & sanctũ. Item nisi ab eis accipiatur quod offertur pro quibus offertur. Hîc paululum sistendum est Lector. Si non potest offerri nisi per sacerdotẽ iustum, & Bernardus dicit, ꝙ sacrilega crudelitate surripitur pauperibus, quicquid sacerdotes pręter victũ & vestitum accipiunt, & certum est illos retinere ingentes diuitias, dominia, & terras, esurientibus egregiè pauperibus, ergo omnes abbates, episcopi, diaconi, archidiaconi, cardinales, canonici

Propitiatoriũ sacrificiũ Christianorum est paßio Christi pœnitenti corde et fideli deo oblata.

Nota Lector hæc sequentia August. uerba

nonici sunt sacrilegi, aut mentitur Diuus Bernardus & Augustinus, & vtinam officiosè mentiantur (Deus ita me amet vel vnius mei brachij iactura.) Si igitur sunt sacrilegi, sunt infames, proinde non tantùm non possunt offerre, sed peccato contaminãt etiam eos (vt diximus ex Cypriano) quicunque illorum oblationi assistunt, etiamsi nihil esset amplius, quod in illis reprehendas. Pergamus in Augustino. Nisi, inquit, ab ijs accipiatur quod offertur pro quibus offertur. Quibus verbis notat abusum, quem etiam ferre non poterat Chrysostomus, quod aliquis assistat offerenti ministro, hoc est pro vniuersa ecclesia oranti inter celebrãdam cœnam Domini, & non simul communicat. Quid, inquit Chrysostomus, ô proterue, es indignus qui communices nobiscum? indignus etiam es, qui nobiscum ores. Sed de hoc aliàs, audiamus Augustin. Nisi suscipiatur id quod offertur ab ijs pro quibus offertur. Vbi es nunc, mi Lindane cum tuis, peccat (ait Aug.) nisi accipiat id quod offertur, quid obsecro offertur? nónne panis & vinũ? Cur igitur non distribuitis panem & vinum? Cur tu, ô Christiane miles, pateris hoc tibi præripi? Sed dicis. Ducerent me ad patibulum, si hoc ego pertinacius ab ijs peterem. Verùm quid terreris petendo, quin potius sanguinem bibis moriendo, non tamen in pugna brachiorum (nisi gladium habes à Domino) sed in patientia animorũ. Quòd si imbecillior es q̃ qui tale pondus crucis sustinere possis, præstat tibi leuiorem & à Domino concessam imponere sarcinam fugiendo, q̃ angelis Dei propinantib. tibi calicem de latere Domini, facere scandalum aut recusando aut dissimulando. Cæterũ hîc excipio charitatem, quæ nihil agit perperã. Audiamus iterum Aug. Sed quid, inquit, tam congruenter ab hominib. sumeretur quod offerretur pro eis, q̃ humana caro, & quid tam aptũ huic immolationi quàm caro morta-

Qui astat communioni & nõ comunicat, dei contemptor est

Nulli priuato pugnãdum est pro religione, sed aut patienter moriendum aut cautè fugiendum, nisi charitas, quæ nihil agit perperam, aliud suadeat.

lis:& quid tàm mundum pro mundandis vitijs mortalium quàm sine vlla contagione caro nata in vtero ex vtero virginali? Et quid tàm gratè offerri & suscipi posset, quàm caro sacrificij nostri caro effecta sacerdotis nostri. Hæc Augustinus. Huc igitur huc Pontificij, prouocatis ad patres, audite hunc beatissimum Patrem. Primùm quòd in fine dicit, Quid tàm gratè offerri & suscipi posset, quàm caro Christiani, corpus effecta Christi? Hîc detegitur infandus vester error, hîc controuersiæ nodus est. Nam (vti diximus) offertur primùm corpus & caro singulorum Christianorum, hoc est, Ecclesia militans Deo in precibus communicantium commendatur, quod etiam bene obseruant Euangelici, & in pane id quadam analogia fieri non negant. Hoc igitur (vt ad rem) est primum sacrificium à Paulo institutum, & Deo initio nostræ Liturgiæ humiliter proponendum omnibus Christianis & iuge & proprium in hac vita continuis lacrymis frequentandum. Quemadmodum enim corpora infantiũ, quæ ob continuam difflationem tendunt ad interitum, continuam à parentibus postulant reparationem per cibum. Sic nostra quoque anima, quia continuis defectibus & peccatis leuioribus, interdum & grauioribus tendit alioqui ad mortem, continua sui immolatione cupit instaurationem sui, & peccatorum remissionem suspirijs iugibus, & assiduis fletibus: vnde dicitur. Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum, quod scilicet in hac mundi vespera continuum offero pro impetranda misericordia. Hæc igitur est caro nostra, & (vt Augustinus) caro effecta Christi, quæ offertur, sed (quod notandum) vt suscipiatur, vt mundetur, vt nutriatur, non vt per & propter eam reconcilietur Deo homo ipse peccator, quod à vobis dicitur, mi Lindane, quando illius supererogationis opera à vestris Minoritis magno precio fa-

Sacrificium ecclesiæ perpetuum est caro Christianorũ, facta caro Christi, quæ offertur Deo, nõ ut

fatuis illis virginibus venalia exponuntur. Vt igitur hæc caro nostra effecta caro Christi sed peccati maculis interdum fœdata & fœtens alioqui, suscipiatur à Patre, adiungimus illi veluti preciosum lapidem in annulo plumbeo memoriam sacrificij filij sui, recordationem carnis Iesu Christi, sed (vt disertè August.) ad huc mortalis in cruce, adhuc palantis & distentæ & iam animã agentis, iustitiæq; pro nobis miseris peccatorib. & omnes obedientiæ numeros explentis. Quo spectaculo Pater Deus ad misericordiam conuersus nos suscipiat, & spirituali benedictione fæcundet, sollicitante etiam pro nobis Pontifice Iesu Christo Patri ad dexteram assidente, id est (teste August. de fid. & symb. cap. 7.) in summa beatitudine existente, & iudiciariam potestatem habente. Verùm dic obsecro mi Lindane, quid hic habet sacerdos amplius prę populo, quo præ illo sese magis efferat nónne ambo mendicant? Nónne sicut hic dicit: Ora pro me Pater & Dei minister: ita ille ad populum conuersus precatur. Orate pro me fratres & sorores, ut meum pariter & uestrum sit Deo acceptũ sacrificium, licet hodie nemo intelligat? Scio uter plus impetrat, nimirum sanctior, fide eminentior, charitate feruentior, bonorum operũ mercimonia instructior, qua in re olim certè sacerdotes ferè populo præcellebant. Quando nimirum Deum reueriti ueri Episcopi tales tantum præsidere altaribus & sacramenta distribuere populo patiebantur, qui & à populo essent electi ob uitæ innocentiam & à clero approbati ob morum candorem, eruditionem, & rerum sacrarum peritiam, fidei constantiã ob continentiam, pietatem, sobrietatem. Id quod si in vsum reuocaremus, iam nec talium sacerdotum copia noceret. Modò certis suis diebus sibi inuicem succederent altaribus oraturi cum populo, & illi sacramenta distributuri. Sic in primitiua ecclesia & Ambrosij tempo-

per eã Deus reconcilietur, sed ut emundetur ut nutriatur: sed quomodo hoc impetrabit? prætẽdẽdo carnẽ Christi in cruce pendẽtem pro se.

Quid sit sedere ad dexterã Patris contra Vbiquitarios.

Qui olim eligebantur in sacerdotium.

re ſacerdotes ſibi per ordinem ſuccedebant altaribus ſiue menſæ Domini(erat.n. tantum vna menſa ſiue vnũ altare) oblationẽ factũri & oraturi pro populo,reliquis ſiue epiſcopis(ſi qui forte cõueniſſẽt)ſiue monachis,ſiue presbyteris de manu pręſidẽtis Euchariſtiã per ordinẽ accipientib. deinde eos ſequente populo.Id quod ſatis liquet ex 14.canone Concilij Nicæni vt primi, ita & antiquiſſimi & ſanctiſſimi,habet autẽ ſic. Peruenit ad ſanctũ concilium quòd in locis quibuſdã & ciuitatibus Diaconi ſacramenta porrigant presbyteris.Hoc neq; regula,neq; cõſuetudo tradidit,vt hi qui offerendi ſacrificij non habent poteſtatem,his qui offerunt, corpꝰ Chriſti porrigant.Sed & illud innotuit,quòd quidam Diaconi etiã ante Epiſcopos(vide quanta humilitas in Epiſcopis illius tẽporis) ſacramẽta ſumunt.Hæc omnia amputentur,& accipiant ſecundũ ordinẽ poſt presbyteros ab Epiſcopo vel presbytero ſacrã cõmunionẽ. Hęc Canõ, vnde collige an fuerit tunc tẽporis Miſſarum pluralitas vno & eodẽ tẽpore in vna & eadẽ eccleſia,cui libet ſubijcere & 20.Canonem,vt omnes videant an tunc Euchariſtia habebatur pro Deo cui oportebat genua flectere. Quoniam,inquit,ſunt in die Dominica quidã ad orationẽ genua flectentes & in diebus Pentecoſtes, propterea ſtatutum eſt vt conſona per omnes eccleſias conſuetudo ſeruetur,vt ſtantes ad orationẽ Domino vota reddamus.Sed redeo ad inſtitutũ.Dico igitur quod ſi tales ſacerdotes eligerentur vera pietate conſpicui, & vulgari idiomate ſic celebraretur myſterium Euchariſtiæ,ſi ſanctitas faceret monachos non impudens mendicitas, ſi doctrina non auaritia,ſi ieiuniũ & labor manuũ nõ otiũ aut culina,mox cerneremus pulcherrimã eccleſiæ faciẽ citra ſcandaloſã(vt ſic dicã)rerum innouationẽ.Alioqui vnũ præſtat in ſingulis eſſe paſtorẽ eccleſijs cũ pari & fidei & ſanctitatis diacono ad Chriſti gloriã,quã tot ſacrilegos

Olim tẽpore Amb. & Nicæni Cõcilij una tantũ erat mẽſa ſiue altare in eccle. & unusqui inde ſacramẽta diſtribuebat reliquis Eucha. de manu eius per ordinem accipiẽtibus.

Olim ſtãtes offerebant sacrificium.

legos sacerdotes ad horrendã illius cõtumeliã. Sed rursus audiamus August. Quid, inquit, tam aptũ huic immolationi quã caro mortalis. En audis lector, quod cũ carne nostra, quæ offert vt suscipiatur, offert caro Christi mortalis, id est non secus commemoratur & præsentat deo Christus ac si hodie pateretur & esset in cruce? Sic orat & offert Ambrosius in quadam oratione ad altare dicens. Respice ergo sancte Pater de sanctuario tuo & de excelso cœlorũ habitaculo, & intuere hanc sacrosanctam hostiã, quã tibi offert summus Pontifex Iesus Christus pro peccatis fratrũ suorũ, & esto placabilis super multitudine malitiæ nostræ, quia vox sanguinis filij tui clamat ad te de cruce. Respice in faciẽ Christi tui q tibi obediens vsq; ad mortẽ fuit. Intuere hunc natũ tuũ toto corpore extensum, cerne manus innoxias pio madentes sanguine, vt memor sis, quantã satisfactionẽ susceperis ab eo pro nobis, remittas nobis placatus scelera quæ perpetrauerunt manus nostræ. Considera inerme latus crudeli perfossum cuspide, & renoua nos sacrosancto fonte, quem inde credimus fluxisse. Aspice carnis filij tui in cruce pendentis sacramentum, & remitte carnis nostræ peccatricis delictum &c. Memoria est igitur (vt audis lector) oblationis factæ non vera oblatio, memoria est carnis, non vera & ipsissima caro Christi, quam sub specie panis repræsentas, éstque vt (ait Augustinus) significans mysterium non veritas carnis realiter siue actu (non nego quin virtute) præsentis. Eius rei vt tibi indubitatã fidem faciã, audi Aug. contra Iudę. cap. 1. Nunc, inquit, manibus non offerimus carnem sed corde & ore offerimus laudem. Audis mi Lindane? & adhuc non tibi persuadebimus? Sed persuadebit opinor sequens Aug. dictum cõtra Faustũ lib. 20. cap. 21. Caro, inquit, & sanguis nostri sacrificij (de mẽtali sacrificio intelligit) in veteri lege per victimas polli-

Caro Christi offertur in cœna sed adhuc mortalis. i. non secus præsentatur patri ac si iã moreretur et esset in cruce

Oratio Ambr. ad altare digna quæ recitetur populo à ministris.

Nota hunc Augustini locum lector.

cebatur, in passione Christi per ueritatem reddebatur, hodie in nostro altari per sacramentum memoriæ celebratur: Et quid nunc habes quod tergiuerseris mi Lindane? en claris uerbis quod in sacramento celebretur memoria carnis Christi, in cruce autem ueritas. Cur igitur proponis memoriæ sacramentum adorandum tam sacræ theologiæ magister? Cur suades populo ut ipsum Christum siue carnem eius cum anima ore & dẽtibus premant, in stomachumque demittant ad sui nutritionem, horrendi facinoris author? Es magister in Israel (parce uerbis & zelo) & hæc ignoras? Es homo & ad eiusmodi facinora non exhorrescis? Audio quid dices. Dominus tamen præcipit dicens, Accipite, manducate, hoc est corpus meum. At cur non audis Cyprianũ qui monet Lib. de vnctione, vt inquiramus quomodo panis ille dicatur Corpus Christi? tunc respondebit tibi Tertullianus, quòd sit figura corporis licet non inanis. Clemens Alexandr. quòd sit Temperatura vini & verbi. Origenes, quòd sit verbum de deo uerbo. Theodo. quòd ideo dicitur corpus, quia pani addiderit suam gratiã dominus. Idem Epiphanius, idem August. uidebitis, inquit, quòd gratia eius non consumitur morsib. Audies à Neocœsariensi quòd sit imago carnis Christi impleta spiritu sancto. A Chrysostomo quòd sit aliquid intelligibile, inuisibile & impalpabile. A Theophylacto, quod sit uirtus carnis Christi. A Gelasio quòd sit panis diuinus. A Nysseno quod sit panis cui vnitũ sit verbum. A Damasceno, quòd illi coniuncta sit diuinitas. A Cyrillo in catech. quòd sit panis quidem, sed non nudus aut simplex, sed cum eo diuinitas. Ab eodem ad Calosyr. quòd Deus infuderit in eum vim vitæ. A Cypriano quia in illum infusa est diuinitas mirabili modo Ab Ambrosio quia est similitudo carnis, aut quia est cũ eo diuinus spiritus. Ab Emisseno, quia est panis cuius substantia

Mirũ est quod oẽs isti patres quærunt subterfugia, et nõ simpliciter dicunt quod sub accidentib. panis latet inuisibiliter totus Christus, si uerũ est quod dicunt Põtificij.

ſubſtantia propter pręſentiam maieſtatis diuinæ ſit mutata in melius. A Rabano quoniã eſt character ſiue figura carnis. A Nazianzeno quia eſt figura figuræ & magni figmentũ Dei. Ab Ambroſio quia creatura ſolemnis. Deniq; ab omnib. quia ſub figura panis, occultet (tantũ habebis ex me) figurã ſiue ſacramentũ carnis Christi, vt diximus ex Beda. Demũ quòd in pane adſit veritas carnis Christi non tamen vera caro & formata, vis illius nõ caro ipſiſſima, & ſubſtantia etiã eadẽ natura cum carne Christi, non eadẽ numero. Proinde quando probaueris quod ſit panis, in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, quodq; à Deo aſſumptus ſit in vnitatẽ perſonæ, agnoſcã eũ pro Christo. Interea tu digito oſtẽde aliis Deũ tuum, nos cũ Hieronymo Deum in corde nostro reconditũ adorabimus. Nunc vt finẽ dicendi de miſſa aut ſacrificio faciam, licet non velim reĳci neque reijciã oblationem viſibilis ſacrificij, veritatis & vniuerſalis antiquitatis cultor, nec ſuperſtitioſus exigam (quãdo à charitate poterit extorqueri) vt inani, periculoſo, & non intellecto ritu panis ſurſum ſupra miniſtri caput eleuetur. Cuperem tamen vt & miniſter, & populus antea bene ex ſuis catechiſmis edoctus, pro precarij ſacrificĳ ſui oblatione, deorſum primò ad humilitatis & ſeria pœnitentiæ ſuſpiria ſeſe demittat, & mox conſpecto ſuper altare effuſi ſanguinis Ieſu Christi pro remiſſione peccatorũ ſuorũ ſymbolo ſacratiſſimo, in certã veniæ ſpẽ aſſurgat. Id ꝙ vt cõſequatur plenius, vtinã ſciat vterque ſe nõ vocari, hic ad ſuperficiariã (quod à multis hodie fieri & experior & doleo) ſed ad ſeriã fletibuſq; perfundendã Dominicæ paſſionis meditationẽ, & totius vitæ Ieſu Christi æmulationẽ. Diſcatq; ex natiuitate illius, paupertatis veſtigia inſequi, & compeſcat ſuperfluũ rerum apparatum. Animaduertat in vniuerſo illius vitæ curſu perpetuã erga Patrẽ obedientiã, & ſupprimat

Adiaphorũ eſt eleuare vel nõ eleuare Euch. ſupra caput, modo populus ſit bene inſtructus de ſacrificio.

manifestum Dei voluntatisq; diuinæ contẽptũ. Intueatur in illius effuso sanguine amorẽ in nos & charitatem incredibilem & discat re, non uerbis diligere & Deum & proximum. Deniq; ubi eò peruenerit ut meditetur, ꝙ innocens Iesus atrocissimo mortis genere fractus uitã cum sanguine profudit pro delẽdis mundi peccatis: hic ueluti extra sese raptus, admiretur immensã Dei misericordiã, & profusis pœnitẽtiæ lachrymis quib. omne peccatum, quod sibi meditanti occurret in hoc sanguine demergat, & sic mortuꝰ sepultusq; peccato cũ Christo, rursus fide & dilectione in uitæ nouitatem cũ ipso resurgens, & mẽte sursum in cœlo cõscendens, illinc sibi in hoc uisibili sacramento apparatũ ueluti è Iesu mamillis diffluentẽ Angelorũ panẽ & corde fideli & ore suscipiat, deinde dilectione & calicẽ Spiritus S. & poculũ bibat charitatis, vnde recuperata veluti iuuentute, nouũ corpus indutus, noua veste decoratus & annulo, in gratiarum actionis Eucharisticũq; sacrificiũ iugiter erũpat. Aequum est.n. vt qui imaginẽ agni celestis in hoc sacramento suscepimus, facti nunc per eam imago Dei, eãdem imaginẽ Deo Patri & conspectu gratissimã, & munere iocũdissimã, in nobis semper offeramus beneficij memores, vt cùm venerit mane illud quod vesperũ nõ habebit, non amplius offeramus imaginis Agni sacrificium, sed ipsum Agnum. De quo etiam Ambr. lib. 4. officiorum cap. 48. sic ait. Olim agnus offerebatur, sed nũc Iesus offertur vt homo & sicut recipiens passionem, & offertur per seipsum: nam est sacerdos vt tollat peccata. Hic in imagine, illic (scilicet in cœlo) in veritate, vbi ipse est ordinatus pro nobis intercessor apud Patrem. Percipit hinc christianus (opinor) quod nec in pane nec sub pane realiter offertur Christus, aut offerri præcipitur. Quomodo ergo dices? in imagine respondeo, non intelligibili tantũ vt est in pane, sed magis in visibili, hoc est,

Christus offert se in cœlo pro nobis in ueritate & realiter, nos hic eũ offerimus in imagine uel in pane Eucha. qui

in

in te. Nam si sumis ea fide qua debes Eucharistiam, obtinebis id quod est ad imaginem Dei, licet non secundũ æqualitatem sed per gratiam pro portione tuæ fidei & dilectionis. Sic factus iam quædam imago Dei & veluti Christus alter, post tam sacram cœnam hymno dicto, iubemur à Paulo ad gloriã Dei cuius beneficio sumus id quod sumus, offerre Deo Patri corpora nostra hostiam viuam, quæ nimirum viuificantis verbi alimoniam susceperunt, mundam & sanctam per Christi sanguinẽ & Spiritum S. Propterea dixit Christus. Accipite, manducate, & postea facite. Nota lector ordinem, quem nescio an bono zelo inuerterit antiquitas, quæ facit panẽ, hoc est (vt ipsi accipiunt) offert priusquam comedant. At si ordinem verborum sequaris, prius comedendum esset sacramentum, deinde offerendum, sic foris nullum esset visibile sacrificium sed totum in nobis, iuxta Paulũ: Offerte corpora uestra Deo hostiã sanctam. Sic Petrus iubet nos offerre spirituales hostias. De panis & uini hostia nusquam leges in scripturis, immò neq; in patribus nisi ea ratione offeramus panem & eiusmodi uisibilia, quæ Irenęus uocat creaturas, ut non appareamus in cõspectu Dei aut uacui aut ingrati. Hæc cũ oblata cedant in alimoniã pauperum, & admoneãt populũ sui officij, suiq; mentalis sacrificij pulchrum esset, & morib. antiquorũ consonũ, ut ab Euãgelicis reuocaretur in usũ. Id ꝗ fit (ut apparet) quando post aut ante concionẽ colligitur eleemosyna, à singulis pro suo arbitratu & facultatibus oblata. Nunc siue animi tui gratitudinem testeris corã Deo immissa in ærariũ ecclesiæ pecunia, siue pane fructib. horarijs, panno, aut tritico quod ueteres passim obseruabant, nónne idem est? Proinde modò omnia bene inculcentur populo, ne cui in posterum aliqua scrupulositas animo hæreat. En subijcio morem sacrificãdi usitatũ tẽpore Apost. ut sciat lector, non displicere Deo

est eius im... uel in nobis, qui etiam sumus eius imago.

Euangelici cœnam celebraturi dant singuli suam eleemosynam in ærariũ pauperũ quæ est illorum oblatio sed oporteret eos eius rei sæpius monere, quidnam illa oblatio indicet.

eum qui hodie ab Euangelicis obſeruatur, vtpote qui ad illum accedat quã proxime, de interiorib. iudicabit Deus. Audiamus ergo Iuſtini Martyris ſanctiſſimi verba quæ extra omnem controuerſiã ſunt eius. Die ſolis, inquit, omnes conuenimus cũ ijs qui in agris ſunt in vnũ locũ, commentariaq; Apoſtolorũ vel prophetarum leguntur quàmdiu res patitur. Deinde vbi is qui legit deſtitit, is qui præeſt (paſtorẽ ſiue miniſtrum intelligit) fratribus (vbi obſecro tunc erant laici, vbi canonici, vbi patriarchæ?) admonet & hortatur (ecce concionem) ut ea quæ lecta ſunt bona imitemur. Tũ ſurgimus omnes ac ſimul (ecce cõmunes preces) precamur. Sub finẽ precũ nos oſculo ſalutamus (nõ exhibet ligneã imaginẽ oſculandã) deinde ei qui pręeſt offertur panis & vinũ tẽperatum (non vides hic altaria [illegible] accepit, laudẽ & gloriã omniũ parenti, filij, ſpirituſq; ſancti nomine tribuit, gratiaſq; ei diu agit, ꝙ ab eo his dignus ſit habitus. Quibus rectè peractis precib. & gratiarũ actione populus omnis qui adeſt acclamat Amẽ. (fiebat ergo totum nota omnib. lingua) Poſtquã autem is qui præeſt gratias egit & populus omnis cõprobauit, ij qui apud nos diaconi dicuntur, nota hoc in diaconis, dant vnicuiq; qui adsũt percipiendũ panem & vinum (vide an communicabant sub vna ſpecie) quæ cum gratiarum actione conſecrata ſunt, & ad eos qui abſunt perferunt. Atque cibus hic apud nos Euchariſtia nuncupatur, qua nemini participare licet, niſi ei qui & vera eſſe credit, quæ nos docemꝰ, & ita uiuit ut Chriſtꝰ tradidit (iſtud hodie proh dolor vix obſeruatur). Et hũc panẽ (nota cõtra eos qui panẽ Euch. pro ſigno aut nuda figura habẽt tãtũ) nõ ut cõmunem cibũ accipimus: ſed queadmodũ per Dei uerbũ homo factus Ieſus Chriſtus carnẽ pro noſtra ſalute habuit, ſic hũc cibũ qui cõſecratꝰ eſt ꝑ preces ſermonis (orationẽ Dominicam intelligit teſte Grego. Magno) quem ab eo accepi-

Iuſtini miſſa obſeruata ab Apoſtolis ut eſt uerisimile, conſona cũ ea quã hodie celebrãt Euangelici modo ad ſpiritualẽ liturgiã diſcãt aſſurgere.

Diaconi tẽpore Iuſtini dabant Euch. qui tamen nõ erãt ſacerdotes.

accepimus, & ex quo carnes nostræ commutatione aluntur, carnem Iesu Christi esse accepimus. Postea concludit dicens, Quibus copiæ suppetunt, ij si volunt, suo quisque arbitratu quod vult largitur, id autem totum apud eum qui præest reponitur. Isque pupillis & viduis & quos morbus aliáue causa inopes facit, & ijs qui in vinculis sunt, & hospitibus, omninoque omnibus, qui aliqua necessitate premuntur, subuenit. Hæc, Lector, ideo proposui, vt videres quæ fuerit facies primitiuæ Ecclesiæ, & conferas cum ea quam vides apud Pontificios, licet nō statim sit malum, quicquid in Iustino non inuenitur. Saltem discis hîc, quòd in primitiua Ecclesia populus in templo legebat & audiebat voce nota ipsas scripturas, etiam ipsi rustici & agricolæ. Vides, quòd panis & vinum consecrata illis dabantur in manus, quòd habebatur concio in omnibus conuentibus, quòd omnes excludebant à communione hæreticos, & sceleratæ vitæ homines, & quicunq; non vixissent vt Christus docuit, denique quòd obtulerint eleemosynam veluti pro externo sacrificio, fidei propriç & charitatis teste. Nūc iudica Lector, an admissuri fuissent, Papas cum sua pompa, Cardinales, Abbates, Patriarchas, Archiepiscopos, Archidiaconos, & eiusmodi (vt hodie sunt) laruas nominum. Interim vides, quòd boni viri qui adnituntur suis scriptis & concionibus homines trahere ad talem vitæ sanctitatem, talem religionis simplicitatem ad vnius parentis omnium Dei cultum, quomodo, inquam, tales homines trahuntur ad immanissima supplicia. Sed dices, meritò hoc illis fit, quia hoc quod hîc affirmat Iustinus, Caluinistæ negant, nimirùm quòd panis Eucharistiæ sit caro Christi. At modestius loquere obsecro, & adsis mi Lindane, & siste mihi hîc doctum aliquem Caluinistam (sic enim eos honoris gratia audeo nominare) siste hîc mihi, inquam, coram te vel ipsum

Sola prece Dominica contenti erant Apost. in consecratione Euchar. nā Canonē Missæ cōposuit scholasticus quidā. Greg. Magnus Epist. lib. 7.

Calumnia iniqua contra Caluinistas.

Petrum Martyrem Italum illum, piæ memoriæ. Roga ab eo, an non credat, quòd puer iam baptizatus sit, & repentè factus sit caro de carne Christi, & os de ossibus eius, deniq; an non sit corpus Christi? Respondebit, sat scio, quòd credat. Pete rursus ab eo, an non ista mutatio cõtigerit in hoc puero ex eo quòd iam sit in eo S.S. siue Deus, non per generalẽ præsentiam diuinitatis, sed per specialem habitationis gratiam, dicet opinor, quòd sic. Perge rursus, & dic, Ergo puer hic cõstat ex terrena materia & cœlesti? Verum est, dicet. Agè ergo, dices, si hic puer debet nutriri conuenienti cibo naturæ suæ, quis nam erit ille? Eucharistia respondebit, nam teste Ireneo tuo constat ex materia terrena & cœlesti, apta (vt etiam hîc dicit Iustinus) ad nutriendum eum, qui est caro Christi. Ergo diceres, Caro sacramenti est eiusdẽ generis siue naturæ cũ carne pueri? Maximè, respondebit Martyr. Ergo, adijcis, cùm nutrimentũ idem sit potẽtia cum suo nutrito, sequeretur, quòd iuxta nostrũ dogma Eucharistia, quę nutrit puerum, esset caro pueri. Sic est dicit. At Eucharistiam dicimus esse Christũ, ergo puer esset Christus? Ita est, ait Martyr. Sed puer non est caro Christi, nisi per gratiam siue per participationem, ergo nec Eucharistia. Reuera sic est, ait. Sic sequeretur, quòd quia puer non est Christus siue corpus Christi, nisi veluti per adoptionem, & proinde non adorandus, sic nec Eucharistia. Rectè infers, Proinde sumus omnes damnati, qui hactenus aliter docuimus? Nescio, mi Lind. quid ad hanc conclusionem respondeat Petr. Mar. ita deplorat vestrã cęcitatem. Desine saltẽ iacere in posterũ conuicia. Redeamus ad oblationẽ panis & vini, quã vt non omnino improbamus, ita dico, ꝙ si Euangelici ordine à Christo præscripto incedunt, & prius comedunt panẽ Domini vt iubet Dominus, deinde vno ore, vno animo & cantu gratias agunt, seseque offerunt in posterũ Deo ad

Quilibet Christianus est corpus Christi.

Eucharistia est nutrimentum fidelium.

Propter charitatem multa toleranda sunt.

ad omne obedientiæ sacrificium, deinde suam animi in Deum gratitudinem, & in proximum amorem eleemosyna pro portione facultatum in pauperes erogata testantur, non video cur aut quare reprehendantur. Non dixit igitur Christus (forsitan) Facite ante Comedite, vt sciamus nos non placere Deo antequam simus reconciliati, & nulla nostra opera valere ad salutem ante iustificationem. Dixit proinde Comedite ante Facite, vt scias te debere esse corpus Christi, priusquam illi offeras tuum corpus, vt noris (cum Augustino) te debere esse sanctum & iustum, priusquam sanctitatis & iusticiæ offeras sacramentum. Alioqui quàm ridicula esset eleuatio panis, nisi simul eleuetur in Deum fide & charitate fulgens cor hominis? Expectent proinde certum, si non repentinum, exitium & damnationem sacerdotes siue ministri sacræ Domini mensæ præsidentes, si audebunt se sistere Domino ad altare, fidei verę precibus oblaturi Deo, distributuri populo, & sumpturi illius sanctissimum corpus, nisi fuerint antea Christi corpus.

Adhortatio ad omnes ecclesiæ ministros pia, sed horrenda aliàs.

Horrescant (nisi omnem sensum perdiderunt) castitatis, sobrietatis, charitatis, vnitatis, offerre Deo Abraham & eius filijs Christiano populo sacramentum, nisi in se ipsis exprimant sacramenti veritatem. Comedamus igitur prius Christum fide, excitati per verbum ad recordationem beneficiorum eius, ad passionis memoriam, quam Deo patri deinde offeramus ad recociliationem Postremò vitam & spiritū in sacramento visibili suscipiamus ad nutritionem nostri & gratiarum actionem. Aequissimū enim est, vt cùm comederimus mel de petra Christo, sic quoq; facti pingues ab vnctione S. sancti, offeramus nos (memores beneficij) indesinēter Deo, in sempiternū gratiarū actionis & obedientię sacrificium. Hinc verè dixit Aug. de Ciu. dei, l. 10. Verus ille mediator Dei & hominū, in quantū formā dei accipiens sacrificiū

maluit esse quàm sumere, nunc in forma Dei mauult sumere quàm esse? Quid ad hæc dicis mi Lindane? Audísne quòd Christus mauult sumere sacrificium quàm esse? Esset autem, si Eucharistia quam offertis esset ipse Christus. Vult igitur à nobis accipere sacrificium, non ipsemet (quod semel fuit) esse sacrificium, hoc est, mauult nos mũdo crucifixos & mortificatos videre quàm seipsum. Mauult iusticiam, quam acquisiuit fidelibus per crucem, in nobis videre quàm extra nos. Est quidem panis altaris corpus & caro Christi virtute & per gratiam, & proinde intelligibilis admirabilisque Christi imago. At tu, & quisquis es, qui panem dignè sumis, sis corpus Christi visibile, sensu & ratione præditum. Hoc igitur & simile sacrificiũ, tum ante aram dum cœnam Domini celebramus, & vbique locorum, vult potissimùm sibi offerri Dominus. Quoniam sicuti homini pio deliciæ sunt esse cũ Domino, ita Domino est summa voluptas esse, non cum pane, sed cum homine iusto & humili, vnde est quod tàm seriò dicit, Manducate, &c, Qui diligit me, ego & Pater ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Christianus est, itaque qui Christum in Baptismo indutus quotidie pœnitens, & salutaris pœnitentię per fidem fructum apprehendens, aut in sacramento, aut sine sacramento occulto illapsu è cœlo, puris sursum leuatis manibus, rerum omnium conditori Deo gratias agit indesinentes pro sua redemptione per Iesum Christum. Hoc illud est iuge sacrificium Prophetæ, quod à Solis ortu vsque ad occasum offertur Deo in omni loco, non solùm in templo, pane & vino designatum. Hinc beatus Martialis ad Burdegalenses. Sacrificium, inquit, Deo creatori offertur in ara, nec solùm in ara sanctificata, sed vbique gentium offertur oblatio munda. Eius nimirùm corpus & sanguinem offerimus, quia Deus spiritus est, & eos qui adorant, oportet

Christus nunc in cœlo mauult accipere sacrificium quã esse, ergo Eucharistia oblata non est Christus, sed est corpus Christi mysticũ

Iuge sacrificium quale sit.

portet in spiritu & veritate adorare. Audis mi Lindane? Siue enim in templo, siue in campo Christianus sese offerat Deo, Christum offert, quoniã adoptione Christus est, de quo dicitur, Nolite tangere Christos meos. Offert quidem Christianus Christum in pane, sed gratia, potentia, & virtute præsentem tantùm, non formaliter, neque enim habet Eucharistia formam hominis, sed cum seipsum offert Deo ad obedientiæ sacrificium, & gratiarũ actionis, siue id faciat in templo, siue in campo, offert Christum reipsa, nimirùm seipsum, licet in imagine, non in veritate, quia ipse reuera Christus non est, nec filius Dei per naturam. Interim semper in se offert fide Christum ipsissimum: at sese offert vt suscipiatur, Christũ verò, vt propter ipsum suscipiatur. Quam distinctionem, quia excæcati ob ambitionem & infanda scelera Pontificij non animaduerterunt in Patribus, factum est vt signa pro rebus à tot seculis adorauerint, & coluerint imaginem (quæ interdum, vt ait Augustin. & Cyprian. de Vnctione, nomẽ accipit eius rei, cuius est imago) pro veritate. Quocirca vt finem imponam, non solùm sanctificatus panis & vinum ad altare, sed & oratio est, cor & spiritus fidelium cum eleemosyna, verum illud sacrificium & iuge, de quo locutus est Malachias. Sic intellexit Hieronymus, sic Tertullianus, venturũ nimirum tempus, quo Christiani non in Palęstina, sed in toto orbe, non cruentas, sed spirituales immolaturi essent hostias. Et hoc pulchrè innuit Chrysost. in Matth. Hom. 40. operis imperfecti, inquiens. Christus per suam doctrinam tulit de medio iuge sacrificium Iudæorum. Nam dicitur tribus annis & sex mensibus docuisse, qui numerus facit dimidium septem annorum, vt illud sacrificium, quod iugiter fuerat in vsu, tolleretur de medio, & offerretur sacrificium laudis in voce, sacrificium iusticiæ in operibus, & sacrificium pacis per Euchari-

Christus offertur in pane & Christianus, hic ut suscipiatur, ille ut propter eum susci piatur.

Sæpe in scripturis imagines accipiunt nomina rerum quarum sunt imagines.

Christus abstulit iuge sacrificiũ Iudæorum.

ſtiam. Hæc ille. Et vbi nunc eſt ſacrificium illud reale corporis Chriſti, quod nobis obtrudis, mi Lindane? Eſto, offertur ſacrificium pacis per Euchariſtiam, ergo Chriſtus totus eſt in Euchariſtia? Quin potius dic, Deus propter Chriſtum, cui per fidem adhæremus, ſeſe nobis coniungit, & quaſi pace inita nobiſcum verè habitat per præſentiā Spiritus Sancti: Ergo cùm nos offerimus Deo, ſiue cùm Euchariſtiā, & in ea & in nobis pacis ſymbolum offerimus. Quapropter (modò populus bene inſtituatur, & ſciat, quòd oblato pane ipſe eſt qui offertur & offerre ſe debeat Deo, idque vt ſuſcipiatur propter meritum paſſionis Chriſti pro ſe in cruce pendentis, & pro remiſſione peccatorum ſuorum ſanguinem fundentis,) agè (cum venia dico) Eſto (vt inquit Chryſoſtomus in Matth. Homil. 4.) hoſtia Chriſtianorum per ſolos ſacerdotes quotidie viſibiliter offerenda in Eccleſia, eaque pura, de qua loquitur Malachias. Prima quidem, Euchariſtia, quæ non in ſe ſed in mente offerentis tam populi quàm miniſtri, paſſionem Chriſti & Chriſtum in cruce pendentem repræſentat: quæ in fide & charitate offerenda eſt Deo, vt inde reddamus eum nobis pacatum, vnde ſacrificium propitiatorium dici poteſt. Secunda eſt illa in hac quoque deſignata, de qua Paulus, Offerte corpora veſtra hoſtiam viuentem Deo: & ſunt omnes ſancti & fideles, tàm defuncti pro quibus gratias agimus Deo, quàm viuētes, quibus bona & corporis & animæ neceſſaria precamur. Tertia hoſtia eſt precum & orationis. Quarta laudis. Quinta iuſtitiæ. Sexta eleemoſynæ. Septima in iubilo. Octaua in ſpiritu contrito. Nona in Euangelij prædicatione. Decima in fructificatione. Hæc Chryſoſtomus. Quæ ſacrificia paucis comprehendes in Precario & Euchariſtico. Hoc enim aguntur gratiæ, illo petuntur indulgentiæ. In vno pane offertur Chriſtianus & Chriſtus. Ille vt ſuſcipia-

Quo intellectu Euchariſtia ſit iuge ſacrificiū.

Quot ſacrificia Chriſtianorum.

cipiatur in gratiam. Iste vt Christianus propter ipsum suscipiatur. Ille se offert in pane humilitate qua potest fide & charitate, Iste reddit se illi in pane adferens augmentum nutrimentumque fidei, humilitatis, charitatis, sanctitatis & iustitiæ, quibus ille satiatus eructat in actionē siue sacrificium laudis & obedientiæ studium: Id quod cùm desinent homines facere viderint qui alterutrum omittunt, tunc & cessabit (opinor) iuge sacrificium, & instabit magnus ille dies domini. Quum desinent inquam offerre sacrificium non in signo tantum, sed magis in signato. Quando scilicet, desinent homines obedire deo quod est verè manducare carnem Christi spiritualiter. Christo quoque credere & ecclesiæ quæ in scripturis requirenda est (inquit Augustinus) tum eum diligere in proximo, quod est calicē bibere. Tunc igitur veniet Christus ad iudicandū Antichristum, non cùm desinent homines imitari Christū in celebrāda foris cœna Domini, sed cū desinent quēadmodum ipse ambulauit, ita & ipsi ambulare. Quādo mortificationē quidē carnis bene annunciabūt, sed interim se non mortificabunt. Quando virtutes Christi diligenter enumerabunt, liberalitatem, sobrietatem, castitatem, iusticiam, patientiam, obedientiam. Ipsi interim permanebunt in sua ebrietate, auaritia, luxuria, fastu, superbia, garrulitate, odio, maledicentia, Annuntiabunt quoque, inuocabunt & forsitan suo modo adorabunt crucifixum Iesum, sed qui ipsi nunquā suos prauos affectus crucifigent aut crucifigere saltem imposito sibi silentio, ieiunio, aut sacco, intenti orationibus & eleemosynis, non magnopere attentabunt. Deniq; quādo omnes bene audient (vt hodie ferè fit) bibite, comedite, hoc est corpus, hic est sanguis meus qui effunditur pro vobis, hæc habete ex mea liberalitate corporalia & spiritualia dona, sed negligent ferè, omnes quod sequi

Quando iuge cessabit sacrificium.

Eccle. in solis scripturis requirenda.

Ferè sic hodie uiuūt homines

tur, facite hoc in meam commemorationem. Id est offerte vos similiter Deo Patri ad omnem eius voluntatē implendam ex beneuolo & propenso corde. Effundite vestram charitatem in alios, distribuite bona vestra in egenos. Tunc denique veniet Dominus, quando per vniuersum pene orbē extincto igne charitatis, flagrabit incendium odij, dissidiorum, & impietatis. Hactenus & de Eucharistia & de sacrificio quantum & rei passa est difficultas & tenuitatis meæ facultas. Omnipotenti deo soli honor & gloria per Iesum Christum vnicum mundi redemptorem Pontificem & mediatorem. Amen.





